

Wd  
2303





h. 65

I

S  
tiu

Co





h. 65, 32.

# ORATIO FUNEBRIS,

*Debito honori*

*ILLUSTRISSIMI AC CELSISSIMI PRIN-  
cipis ac Domini*



39

# D<sup>N</sup>. JOHANNIS CASIMIRI,

Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Mon-  
tium Ducis, Comitis Provincialis Thuringiae, Mar-  
chionis Misniae, Comitis in Marca & Ravenspurg,  
Dynastae in Ravenstein,

Inclutae Domus Saxonicae & Sacri Rom.  
Imper. Principis Senioris,

*Nati Gotthae 12. Junii Ann. 1564.  
Denati Coburgi 16. Julii Ann. 1633.  
Repositi ibidem 24. Martii Ann. 1634.*

Consecrata & in ACADEMIA JENENSI 4. Apri-  
lis Ann. 1634. publicè habita.

à

## Johanne Gerhardo D.

J E N Æ

*Typis ERNESTI STEINMANNI,*

*Sumptibus ELASII LOBENSTEINII,*

M. DC. XXXIV.





ORATIO UNIVERSITATIS

De hoc honore

ILLUSTRISSIMI AC CELEBRISSIMI PAULI  
HUGO AC DECANUS

FR. JOHANNIS

CASIMIRI

Saxonicae, Juliae, Cliviae ac Mon-

achii Ducis, Comitatus Provincialis Thuringiae, Mar-

chionis Militariae, Comitatus in Alata & Ravensburgae,

Ducatus in Ravensburgae

Inclusit: Domus Saxonica & Sacri Romani

Imperii Principis Senatoris



Novi Gotiae in Thuringia  
Ducatus Gothae in Thuringia  
Repositorium

Conspectus in ACADEMIA JENENSIS Aprilis  
Anno 1734 publico habita



Johanne Gerardo D.

JENAE

Typis ERNESTI ZIEHMANNI

in URBE JENENSIS FORNITUR

M. DC. XXXIV.







*Illustrissimo ac Celsissimo Principi  
ac Domino*

**DN. JOHANNI  
ERNESTO,**

Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium Duci, Co-  
miti Provinciali Thuringiae, Marchioni Misniae,  
Comiti in Marca & Ravenspurg, Dyna-  
stae in Ravenstein,

Principi ac Domino suo Clementissimo,  
Salutem & felix regimen.

**I**LLUSTRISIME ac CEL-  
sissime Princeps, Domine Clementissi-  
me, Platonis Philosophi in Dialogo, qui  
inscribitur *Μετέξεν* & *ἢ Ἐπιλάφι*, præce-  
ptum est, tria in commemoratione re-  
rum à magnis viris & Principibus præclare gestarum,  
præstanda esse. Primùm quidem, *ut tota oratio directæ  
sit ad laudes defuncti pro merito ac inavôs*, ut ipse loqui-  
tur, *describendas*. Deinde, *ad dicentis munus pertinere,  
ut auditorum animos modestâ & accommodatâ oratione exus-  
citet & incendat ad emulationem virtutis & gloria in defun-  
cto propositæ*. Tandem, *ut orationis vimæstorum animos  
erigere & efficaciam consolationis dolorem mitigare conetur*.  
Nullum horum à pietate Christiana alienum censeri  
debet.



## DEDICATIO.

debet. Primum congruum est exemplis Scripturæ Sirac. 44. v. 1. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* v. 2. *Multam gloriam creavit Dominus in eis magnificentiâ suâ à seculo.* v. 3. *Dominantes in regnis suis & viri magni nominis in potentia.* Galat. 1. v. 24. *Glorificabant in me Deum,* inquit Apostolus, grato scilicet corde agnoscentes & prædicantes beneficia divina, per meum ministerium Ecclesiæ præstita. Magnos & de Ecclesia ac Republ. præclarè meritos viros laudare, est Deum ipsum laudare, quippe qui est causa principalis & autor primarius eorum omnium, quæ per isthæc divinæ bonitatis organa Ecclesiæ ac Reipubl. divinitus sunt collata. Inde Gregorius Nazianzenus Athanasium Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, (quem Theodoretus lib. 1. Histor. Eccles. cap. 8. vocat *propugnaculum veritatis*) debitis laudum præconiis mactaturus & honoraturus, inter cætera sic scribit: *Athanasium laudans virtutem ipsam laudabo, quoniam omnem virtutem in se comprehensam habebat, virtutem verò laudans laudabo Deum ipsum, à quo hominibus provenit virtus, ut ad ipsum propter cognitionem splendoris deducamur, seu potius reducamur.* Alterum conforme est præcepto Apostolico Hebr. 13. v. 7. *Mementote ducum vestrorum, qui locuti sunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitemini fidem.* Nimirum magna omnino vis est in exemplis ad accendendum in animis auditorum virtutis studium, unde Eusebius lib. 1. de vit. Constant. cap. 6. scribit, *rerum à Constantino Magno præclarè ac divinitus gestarum narrationem non incommodam quidem, nec injucundam lectionem his præsertim, qui sunt animo benè constituti, sed ad vitam instituendâ per quam utilem & fructuosam planè allaturam,*



DEDICATIO.

*turam, ac verè dixit, quicunq; dixit, parentales Orationes esse præclarum atq; efficax ὁπρὸν ἡγεῖον, quo ad studium & studium virtutum plures alii, quasi per erectas Mercuriales statuas invitantur.* Sed nec tertium Apostolico destituitur mandato, eum Paulus 1. Theff. 4. v. 18. expositis fundamentis consolationis, quibus luctum in funere nostrorum mitigare possimus, subjungat. *Itaq; consolemini invicem in verbis istis.* Non mediocre profectò solatium est superstitum, quando vident, defunctis præclarè de humana societate meritis, in sacrario Mnemosynes æternum bonæ famæ monumentum pro periculis, laboribus, curis & vigiliis, quibus se exponere, frangere, macerare & affligere non dubitârunt, construi atque erigi. Atque hæc sunt, quæ me, tanto muneri ferè, imò verè imparem, impulerunt, animârunt, erexerunt, ut in honorem Celsi Vest. fratris germani atq; unici, *Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, DN. JOHANNIS CASIMIRI, Saxonie, Julia, Clivia ac Montium Ducis, Comitum Provincialis Thuringie, Marchionis Misnia, Comitum in Marca & Ravensburg, Dynasta in Ravenstein, Electoralis & Ducalis domus Saxonica, imò totius Sacri Rom. Imper. Principis Senioris, Domini & Evergera mei quondam clementissimi, b. m.* Orationem hancce exequialem in Academia Jenensi multis beneficiis ab ipsius Celsitudine affecta publicè habere non fuerim veritus, etiamsi probè scirem, tanti herois luctu publico ab omnibus desiderati virtuti ac gloriæ non posse à me paria fieri, de quo jure ac meritò usurpari poterit illud, quod Joachimus Camerarius de Friderico Electore Saxonie, Sapiente cognominato, olim cecinit:



## DEDICATIO.

*Quisq; suos fati deplorat lege peremptos,  
Cordaq; contingit vix aliena dolor.*

*Sed te JAN-CASIMIRE etiam regna extera & urbes  
Deflent, tantum inter teq; aliosq; fuit.*

Tuæ verò, Illustrissime Princeps, Celsitud. Orationem hanc ἐγκώμιον humiliter inscribere volui ac debui, ut publico testimonio manifestum facerem, Cels. Vest. ut ditionum, ita quoq; laudum fraternarum ex asse heredem esse, ac jactura illam, quam Ducatus Saxo-Coburgicus, imò totum Imperium Romanum in morte Illustrissimi Ducis Johannis Casimiri &c. fecit, in Vest. Cels. divinâ benignitate esse resarcitam ac compensatam. Benignissimus DEUS Vest. Celsit. vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, Senatum fidelem, populum probum & quæcunq; hominis & Principis vota sunt, clementissimè concedat, per & propter CHRISTUM Mediatorem nostrum, Amen.  
Perscriptum Jenæ 4. Aprilis 1634.

Illustr. Celsit. Vest.

subjectissimè  
colens

Johan. Gerhard D.

SAR.





SARCOTHECÆ STANNÆ,

*In qua corpus optimi PRINCIPIS repositum,  
hæc sunt insculpta:*

D. G.

JOHANNES CASIMIRUS,

Dux Saxonix, Julix, Clivix & Montium, Land-  
gravius Thuringix, Marchio Misnix, Comes in  
Marca & Ravenspurg, Dynasta in  
Ravenstein,

PRINCEPS

Senior Familix & Sacri Romani Imperii, Pater patriæ,  
Religionis sinceræ cultu, Justitiæ amore, constan-  
tiâ, antiquâ virtute & fide nulli secundus, Eccle-  
siæ, Scholarumq; Nutritius benignissimus, Fidus  
DEO, quanquam vi & armis pressus, Fidus Cæsari  
secundùm Leges fundamentales, Fidus Imperio.

Natus Gothæ XII. Junii Anno 1564. Mortuus Cobur-  
gi XVI. Julii Anno 1633: cum Principatui, belli  
flammâ tandem per injuriam correpto, benè ac  
laudabiliter præfuisset ad annos XLVI. vixisset  
annos LXIX. mensem I. dies III. ejus anima  
requiescit in Christo: cineres verò beatam & glo-  
riosam corporis resurrectionem hîc expectant.

RECTOR

urbes

onem

ebui,

Vest.

se he-

o-Co-

orte

Vest.

ensa-

pro-

atum

nis &

per &

nen.

rd D.

AR.



PROGRAMMA

RECTOR ACADEMIÆ  
JENENSIS

VALENTINUS  
RIEMERUS J. U. D. ET PROFES-  
SORES RELIQUI L. S. D.

**Q**Uòd si in paucos retrò annos oculos re-  
flectamus nostros, per frequentia juniorum  
Principum funera Illustrissimæ Domui Saxo-  
nicæ plagæ vulneraque inflicta nobis obve-  
niunt gravissima: quæ quidem quò recentiora & mi-  
nùs perfanata sunt, eò opus minùs, ut multis refrice-  
mus & in memoriam has tantas clades revocemus. Ac-  
cessit ad ista superioris anni clò 10 c xxxiii. mense Ju-  
lio obitus Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domi-  
ni, Dn. JOHANNIS CASIMIRI, Dn. JOHANNIS  
FRIDERICI II<sup>di</sup> Filii, Dn. JOHANNIS FRIDERICI I<sup>ri</sup> Ma-  
gnanimi, Dn. JOHANNIS CONSTANTIS, Principum Ele-  
ctorum Saxonix, Nepotis & Pronepotis, Ducis Saxo-  
nix, Julix, Clivix, Montium, Landgravii Thuringix,  
Marchionis Misnix, Comitum Marcæ & Ravensburgi,  
Domini Ravensteinii: Principis, quo non solum in Sa-  
xonica, verùm etiam in omniũ Imperii Romani Prin-  
cipum familiis, nemo hac tempestate ætate major fuit:  
Principis, annum decies septenum, qui & Davidi Re-  
gi ac Prophetæ olim fatalis fuit, septimanis quinque  
ante beatum ex hac mortalitate discessum ingressi. Suas  
Genethliacis de annis climactericis, quasi dicas scala-  
ribus, novenariis ac septenariis, relinquimus specu-  
lationes varias, qui fallere istas per sæpè & falli non tam  
novi-



## PROGRAMMA.

novimus, quàm ipsis veluti oculis videmus & manibus palpamus: qui in DEI manu atq; arbitrio sortem & mortem, ut hominum omnium, ita & Principum cumprimis, sitam esse ex Sacris edocti scimus. Hoc verò jam nobis curandum est: cogitemus, Principes bonos dona esse DEI: esse ipsius DEI Opt. Max. his in terris Vicarios, unde & suo nomine idem ipsos dignatur: Eorundem, sive juniorum, quorum Virtus Heroica pro Patriæ salute & commodis se cœpit exserere, imò pleno nisu sudat, sive seniorum, quorum prudentia & auctoritas Reipubl. sunt fulcra, hac ex vita egressum, nisi mutatio fiat in melius, vindictam esse & ultionem divinam, vel etiam vellicatum quendam nostrum, quo in nos vitamque nostram descendere, peccatorum commissorum recordari & poenitentiam agere seriâ moneamur; ut gladium iræ atque furoris divini evaginatum avertere nostris à cervicibus queamus. Debitam prætereà gratiam piè defunctis ne denegemus, luctu tristi, humatione honorificâ, laudatione dignâ. Postquam ergò pia illa mœstæ religionis officia plenissima tum alibi, tum cumprimis Coburgi, ubi exsequiæ proximè elapsi mensis Martii die XXIV. solenni pompâ factæ, Illustrissimo ac Cellissimo piè defuncto Principi ac Domino, Dn. JOHANNI CASIMIRO, Duci Saxonix &c. cumulatè præstita, ne quid in nobis tum propter & Avi & Patris, Academiae hujus fundatorum, tum & propria ipsius in Academiam merita ac beneficia æternâ memoriâ dignâ, desideretur, die hodiernâ horâ I. pomerid. Vir plur. Reverendus, Excel-

B

cel.



## PROGRAMMA.

cellentissimus, Clarissimus Dn. JOHANNES GERHARDUS S.S. Theolog, Doct. & Profess, Publ. Collega noster admodum honorandus, Oratione Parentali in templo Collegi pios beatè defuncti Principis manes maectabit & honorabit. Hanc ad Panegyrim omnes & singulos Academiae nostrae Cives vocamus: nil verò quicquam dubitamus, quin frequenti confluxu sint adfuturi, attentas ac vacivas Oratori parentanti aures accommodaturi & reliquorum Saxoniae Ducum, Dominorum nostrorum clementissimorum, qui supersunt, salutem, consilia, actusque omnes, quâ togam, quâ sagum, DEO ter Opt. Max. absque cujus numine nulla felicia sunt molimina, ardentibus votis nobiscum commenda-

turi. P. P. IV. April. Anno

1634. MDCXXXIV.



Συμ





Σὺν Θεῷ Παλάμῃ.



Nullius vestrum, Magnifice Dn. Rector, Viri Reverendâ pietate, Magnificâ autoritate, generis dignitate, eruditionis exquisitoris varietate, famæ celebritate, experientia claritate splendidiſſimi, eminentiſſimi, Domini Collegæ, fautores & amici, non amoris ſolùm cultu, ſed honoris etiam obſequio venerandi, Tuq; Studioſorum Corona Nobiliſſima, lectiſſima, dilectiſſima; nullius, inquam, veſtrum vel notitiam vel memoriam fugit, quod apud Herodotum de Cræſi Lydorum Regis filio literarum monumentis proditum extat, ipſum ſcil. jam inde à pueris per omnem vitam fuiſſe elinguem ac fandi impotentem. Sed cùm captis à Cyro Perſarum Rege Sardibus parenti in Regia ſua conſiſtenti militum aliquis ſtricto mortem intentaret gladio, ingenti doloris & amoris impetu reſeratis linguæ clauſtris in hæc verba ſubitò prorupiſſe. Ω ἄνθρωπε! μὴ κλείνε Κροῖσον. O homo! Cræſum ne occidito; quâ voce parentem militi ignotum à præſentiſſimo mortis periculo liberavit ac mucronem ipſius jugulo jam penè impreſſum revocavit, ſicq; qui ad id tempus mutus ſibi vixerat, ſaluti parentis vocalis factus eſt. Quòd ſi & mihi in aula Coburgica Illuſtriſſimi ac Ceſſiſſimi Principis ac Domini, Domini Johannis Caſimiri, Saxonie, Julia, Clivia ac Montium Ducis, Comitum Provincialis Thuringia, Marchionis Miſnia, Comitum in Marca & Ravenſpurg, Dynaſta in Ravenſtein &c. incluta Domus Saxonica & Sacri Rom. Imperii Principis Senioris, Domini & Evergetæ, heu

Herodot.  
lib. 1. Val.  
ler. Max.  
lib. 5. me-  
morab.  
cap. 5.

Σὺν



## ORATIO FUNEBRIS

*quondam mei clementissimi*, die Julii Anni proximè præter-  
 lapsi tō qui emortalis ipsi fuit, consistere ac Mor-  
 tem acinace suo extrema optimo Principi minantem  
 intueri licuisset, etiamsi jurata Pythagorici silentii fi-  
 des me prorsus mutum & elinguem reddidisset, præ-  
 doloris tamen magnitudine ruptis silentii legib<sup>9</sup>. quan-  
 tis potuissem & vocis & corporis viribus exclamâsem,  
 Ω θάνατε, μὴ κέλεις βέλυσον τὸν ἀρχαῖα. *O mors! ne occidas*  
*Principem optimum.* Sed quia obinopinat in morbi in-  
 pejus factam mutationem ac per locorū ἀγνηματα mo-  
 rientis lectulo assidere & quod optimo Principi à me  
 jam olim id exigenti pollicitus eram, moribundos ocu-  
 los ad beatificam Dei visionem in die pantocritico ite-  
 rum aperiendos claudere minimè licuit, quod unicum  
 mihi mansit reliquum, præstare, h. e. Principi benè me-  
 rito iusta facere constitui, etiamsi meam in dicendo in-  
 fantiam lubens agnoscam & publicâ voce profiteri non  
 erubescam. Vos ergo, quotquot adestis, Auditores o-  
 mnium Ordinum honoratissimi, verbis ex imo pectore  
 protractis & voce doloris plenissimâ compello. Ω ἀγα-  
 θοὶ συνεπιθρηνεῖτέ μοι, βέλυσθε τὸ ἀρχαῖον ἀπέθανε. *O boni lu-*  
*gete mecum, primus Princeps mortuus est.* Quantum enim  
 in Principis hujus obitu non solum Ducatus Saxo. Co-  
 burgicus, sed etiam tota Domus Saxonica, imò Impe-  
 rium Romanum, imò totus orbis Christianus fecerit  
 jacturam, nulla verborum vis, nulla dicendi copia, Pe-  
 riclæam licet desideres, complecti poterit. Eodem  
 profectò tempore, eâdem ruinâ, eâdem clade orbatus  
 fuit Ducatus Saxo. Coburgicus Principe ac gubernato-  
 re moderatissimo, familia Saxonica longè augustissima  
 Seniore honoratissimo, Imperium Romanum columnâ  
firmis



DUCIS JOH. CASIMIRI.

firmissimâ, orbis Christianus Propugnator & clypeo  
 invictissimo. Eadem dies, quæ hunc Principem nobis  
 abstulit, & Principem Illustrissimum Johannem Ernestum,  
 Saxonie, Juliae, Clivia ac Montium Ducem, fratre germano  
 unico conjunctissimo; & Illustrissimam viduam mari-  
 to desideratissimo, & subditos Patriæ Patre clementis-  
 simo; & quod caput rei est, Ecclesias & Scholas Nutri-  
 tio benignissimo privavit. O fata tristia! O luctuosum  
 obitum! O incertas hominum sortes! Cecidit, cecidit  
 proh dolor! Imperii & Saxonicae Domus fulcrum, e-  
 marcuit flos Europæ, extinctus provinciæ Saxo-Cobur-  
 gicae oculus, sublat<sup>9</sup> funere religionis purioris vindex,  
 Musarum tutor, justitiæ & juris assertor. Meritò igitur  
 jacturam hanc, quam non exiguam fecimus, sed exi-  
 miam; naufragium hoc, quod perpeffi sumus, non leve,  
 sed gravissimum; damnum hoc, quod sentimus, non  
 tenue, nec privatum, sed publicum, profusis deplora-  
 mus lachrymis; meritò *coronam caputis nostri sublatam esse*  
*se, lugemus, ac lucernam israelis extinctam esse, conqueri*  
 mur, etiamsi nullis lachrymis, nullis gemitibus, nullis  
 suspiriis dolorem & luctum nostrum explere possimus  
 & exhaurire. Sed enim cum Principis ipsius vicem do-  
 lendi causam habeamus planè nullam, siquidem mors  
 ipsi fuit vitæ æternæ janua & regni cœlestis puerpera,  
 adeoq; ita comparata, ut non commiseratione, sed læ-  
 tà acclamatione; non tristi lamentatione, sed festivâ  
 jubilatione prosequenda haud immeritò censeatur;  
 cumq; nostris querimoniis beatissimum Principem ex  
 supernis, in quas receptus est, sedibus ad hæc terrena  
 gurgustiola & tuguriola revocare, nec si velimus, pos-  
 simus; nec si possimus, velimus, ideò ad illud, quod

Thren. 5.  
 v. 1.  
 2. Sam. 1. Ro.  
 v. 17.



## ORATIO FUNEBRIS

Principis de universa Republ. Christiana præclarissimè meriti pietas & virtus à nobis requirit, debito modo peragendum, h. e. *ad mæstæ religionis officium*, quod sic vocabant veteres, eidem præstandum nos convertem<sup>9</sup>, ne, ut de suo hoc mihi largiatur Ambrosius, *aut oblitèrâsse silentio benè meriti de nobis pignoris memoriam videamur, atq; inhonoratam reliquisse; aut incentivum dolendi refugisse, cum doluisse plerunq; solatium sit dolentis. Detur hoc illustrium virorum posteritati*, inquit Cornelius Tacitus, *ut quomodo exequiis à promiscua sepultura separantur: ita in traditione supremorum accipiant, habeantq; propriam memoriã.*

*In Orat. funebri Imp. Valentiniani.*

*lib. 16. Annal.*

*Ambros. de fide resurr. cap. 2.*

Non solùm enim naturali æquitati congruum, sed etiam universali more apud omnes gentes receptum, ut quam viri magni & supra communem aliorum sortem evecti rerum præclarè gestarum virtutem, quam virtutis gloriam, quam gloriæ famam, quam famæ celebritatem sibi compararunt vivi, ejusdem fructũ etiam experiantur vitâ functi, *ut in mentibus eorum, de quibus optimè meriti sunt, etiam post mortem vivant, & in affectibus perseverent.*

Neq; verò animi dubius sum, quin plerosq; vestrũ non levis capiat admiratio, quòd, cum huic muneri prorsus impar sim, tanto heroi justa celebrare, ac reliquis sedentibus ad dicendum surgere, reliquis tacentibus verba facere ausus fuerim. Illorum judicio tantum abest, ut refragari velim, ut meum quoque illi adscribere suffragium minimè recusem, cum tenuitatis meæ probè mihi conscius majus opus me intelligam aggredi, quàm possim dignè exequi. Illud tamen sollicitè deprecor, ne quis vel temeritatis, à qua ipsa ætas me excusat, vel arrogantia, à qua per totam vitam longis-

simè



DUCIS JOH. CASIMIRI.

simè semper abfui, me reum peragat, sed animum potius meum sibi probari patiatur, cum intelligat, non eloquentiæ, quæ in me planè nulla, ostentandæ; sed pietatis Principi à me debitæ testificandæ causâ has dicendi partes à Superioribus mihi impositas me suscepisse. Nullum enim, planè inquam nullum, in hoc Confessu splendidissimo esse, arbitror, qui tantum se debere Principi Illustrissimo agnoscat, quantum me eidem debere gratâ mente prædico. Ipse enim est, qui ex promiscuo Studiosorum cœtu ad honoratissimum Heldburgensis *Προνομής* officium me extraneum in unica duntaxat concione auditum, accedente Ecclesiæ illius suffragio, legitimè vocavit. Ipse est, qui Doctoratus gradum in hac Academia ambire jussit, & in eam rem sumtus necessarios benignissimè suppeditavit. Ipse est, qui per annos viginti septem ab officiis Ecclesiasticis; in itinere Dresdensi, Coloniensi, Francofurtensi ac Celenensi à concionibus sacris, ac semel atq; iterum à Confessionibus sibi me esse voluit. Ipse est, qui per integri decennii decursum mensæ suæ Principalis singulis ferè septimanis me consortem fecit. Ipse est, qui singularis & edecumata clementiæ declarandæ causâ nuptiali meæ festivitati, in arce Heldburgensi celebratæ, per integrum quatrimum interfuit, eandemq; ferinâ, vino & necessariis omnibus lautissimè instruit, ac in deductione ad templum latus sinistrum clausit, Electorali Legato dextrum relinquens. Ipse est, qui Superintendentis generalis officio me præfecit & Consistorii Ecclesiastici, quod est Coburgi, Assessorem, ac Gymnasii Casimiriani Professore constituit, quin & generalis Visitationis partes clementissimè mihi demandavit.

Ipse:



## ORATIO FUNEBRIS

Ipse est, qui non semel ad aperto Principalis suæ munificentiae fonte largissima ejusdem fluentia in me derivavit. Ipse est, qui me arctissimis plurimorum beneficiorum vinculis sibi obstrictum atq; obæratum bonâ cum gratiâ ad hanc Academiam spe uberioris fructus ad Ecclesiam redundaturi dimisit, abeuntem convivio solenni excepit, discedenti Imperiales ducentos suâ manu gratiosissimè obtulit, ac singulis in posterum annis centum florenos ex ærario Principali annumerandos constituit, quos etiam sine ulla mora quotannis mihi persolutos esse, gratâ mente agnosco ac grato ore profiteor. Ipse est, qui, quod in aulis Saxonis rarissimum, post meam ab officio Superintendentis abdicationem pristinâ gratiâ ad finem usq; vitæ me constanter amplexus, vix dum triduo ante beatissimum obitum literas meas manu benignissimâ suscepit, ac nisi dolores calculi obstitissent, Principali responso me beâisset, salute interim clementissimâ mihi nunciatâ ac gratiæ suæ constantiâ per honoratum internuncium confirmatâ. Omnium igitur, quos terra fovet, ingratus merito censerer, si quò minùs debito illo, quo optimo Principi obstrictus teneor, me exolverem, virtutes ejus in theatrum laudis producerem ac literarium immortalitatis & æternæ memoriæ cippum ipsi erigerem, majorem meæ in dicendo infantiae, quàm pietatis debitæ rationem habere vellem. Quando heroum virtuti dicendum est præconium, balbutire præstat, quàm tacere, proinde & ipse quædam duntaxat oratione minùs comtâ ac politâ proferendo indisertus, quàm planè tacendo ingratus haberi malo, indignum existimans, illustrem hunc Heroa, qui hujus ævi gloriam & poste-



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

Posteritatis memoriam benefactis superavit, propterea quod dignè laudari ipsius virtus nequeat, ne laudem quidem meritis suis imparem consequi, sed indictum, prorsus & illaudatum relinqui.

A vobis verò, Auditores honoratissimi, quâ deo observantiâ, quâ possum diligentia contendo, ut pietatem hancce meâ non aestimetis, aut mensuretis ex orationis meâ nullis Rhetorum pigmentis delibutæ tenuitate, sed ex personæ, quam commendare cogito, sublimitate, quæ, me etiam tacente, laudis & honoris suffragium suo quodam jure meretur; atq; ut benevolentia vestra, quam vultus mihi vester promittit, faventiore aurâ torpidam orationis meâ naviculam promoveri ne desistatis, ut ad portum, quem cupidissimè desiderat, felici remigio provehatur.

Atq; ut Naturæ ductum secutus ab eo, à quo Princeps noster vivendi cepit exordium, dicendi ego faciam initium, natus est ὁ μακαρτης noster ex familia Illustrissima Saxonica, quam vel solummodò nominare est prolixas illius laudes recitare, inque animis vestris, qui earundem probè gnari estis, renovare. Antiquitatem si spectes, hæc familia jamdum Caroli Magni temporibus in Witikindo floruit; si rerum fortiter & præclare gestarum gloriam, illam & pacis & belli temporibus per multas annorum centurias obtinuit longè clarissimam; si propaginem hujus stirpis ac surculorum, qui ex ea progerminarunt, eminentiam requiras, Henricum Aucupem dictum; Ottonem Primum, cognomento Magnum; Ottonem secundum; rubrum; Ottonem tertium; Mirabilia mundi cognominatum; Henricum secundum; sanctum; Ottonem quartum Imperatores Romanos Augustissimos, gloriosissimos, felici satu protulit, ut præ-



ORATIO FUNEBRIS

mittam Fridericum tertium, Sapientem dictum, qui ab incluto Septemvirali Electorum Collegio dignus iudicatus fuit, cui Imperii Rom. Sceptrū ac gubernacula cōmitterentur, quæ tamen ipse ætatē suā accusans modestè recusavit, inq; alterius humeros devolvi petiit, cū Natali Comite ratus, majorē laudē in recusando quàm capeffendo summo Magistratu sese consecuturū. Si affinitates respicias, hæc familia in eajam olim fuit existimatione, ut plurimi Imperatores ac Reges non dubitaverint per matrimonia eā sibi consociare; si studiū religionis, pares in eo habet Principes paucos, superiorem verò neminē, cujus rei testē produco Leonem X. Pont. Romanū, qui in literis ad Fridericū III. Saxonix Electorem datis profitetur, *inter alia Domus Saxonica ornamenta proprium illi semper fuisse, quòd religionis esset observantissima: quod ipsum etiā Cardinalis Campegius Clementis VII. Legatus in literis ad eundē Electorem exaratis repetere non dubitavit. Quamvis v. familiae hujus majores militarē, quā semper excelluere, virtutem, primū quidem ad defendendū pag norum cultum, postmodū etiam Papismum propugnandum, quæ temporum illorū fuit cœcitas ac superstitio, converterint, affulgente tamen clariore cœlestis veritatis luce non ipsi solū Evangelii doctrinam amplexi in ejus professione constantes fuere, sed etiā corporis sui objectu ab ejusdem oppressione adversarios cohibuerunt, ut propterea non sit, quod Petrus Cutsenius in Saxonia sua Catholica hoc nomine Heroibus istis insultet. Quinimò incluta Dom<sup>o</sup> Saxonica, præ reliquis Europæ Regum & Principum familiis, prima omnium fuit, quæ doctrinæ Evangelicæ ex Cimмериis Papatus tenebris in lucem clarissimam vindicatae hospitium præbuit, ac præclarum thesauri*  
 istius

apud Sleidan. lib. 1. pag. 7.  
 apud eund. lib. 4. pag. 87.



DUCIS JOH. CASIMIRI.

istius depositum ad præsentem usq; diem inviolatū custodivit, ut proinde haud abs re sit, quod Laurentius Faustus observavit, *singulari mysterio factū esse, cum familia Saxonica sertum rutaceum pro insignibus habeat & ejus Natura ac virtutis sit, ut ubicunq; locorum ruta nascatur, nullum animantis venenari genus ibi degere possit; eodemq; modo Evangelica doctrina nullum virus hæreticum ferre possit, ac non nisi pura amet loca; illic potissimū doctrinā Pontificiā cū Evangelica consistere neutiquā potuisse, sed ut emarceret ac extingueretur, necesse habuisse.* Ex illa igitur familia longè Illustrissima cū ortus sui primordia Princeps noster duxerit, meritò de ipso illud Poëtæ usurpare possumus:

*in anatolia Status Danielis. Wolff. tom. 2. Lect. memorab. p. 960.*

— — — *Non illum series inhonora parentum  
Obscurum proavis & avitæ laudis egentem  
Plebejà de sorte tulit &c.*

Sed enim quanta quanta sit illa familiæ dignitas, quantumcunq; etiam gloriæ facem stirpis splendor ipsi aluceat, in dubio tamen adhuc positū, an plus ornamenti & laudis familia ipsi attulerit, an ab ipso eadem fœnorata sit ac retulerit; quinimò si quantā piè vivendo, moderatè regendo ac res præclaras gerendo sibi laudem pepererit, attendamus, obscurabitur quodammodo ea, quam nascendo consecutus est, adorea, cū nemo, (nisi Solem in meridie lucere negatū ire velit) inficiari possit, quòd, quem à gente acceperit splendorē, tantò cumulatiorē illi reddiderit, ut quantū illa gens alias, tantū ille gentem suā illustrasse haud immeritò judicetur.

A familia ad progenitores me conféro, quippe quorū claritudo non solūm præclarus est liberorum thesaur⁹, sed eidem etiā inest vis quædam mirabilis & occulta virtutis propagandæ & in posteros derivandæ. Abavus



## ORATIO FUNEBRIS

Principis nostri fuit *Ernestus Saxonie Elector* (Friderici Sapiientis & Johannis Electorum, Alberti Archiepiscopi Moguntini & Ernesti Archiepiscopi Magdeburgensis parens,) qui Matthiæ Ungari & Casimiri Poloni exercitus à Germaniæ cervicibus non tam armis, quam prudentiâ avertit, & arcem Coburgicam verè regiam sine subditorum tributis & sudoribus extruxit, quam propterea Carol. V. Imper. Augustiss. *arcem honoris Ehrenburg* nominari jussit. Proavum noster Princeps agnoscit *Johannem Saxonie Electorè*, Friderici Sapiientis fratrem, qui in juvenilis ætatis flore sub Imperatore Maximiliano I. in Ungaria militans in oppugnatione Albæ Regalis inter primos murum ascendit & coronam muralem promeruit; cujus jam adulti & ad fastigium Electoralis sublimitatis evecti singulare planè & admirandum animi robur in Augustanis Comitibus Anno 1530. emicuit, quippe qui post habitis minis, odiis, periculis, quæ ipsius & reliquorum Confessorum cervicibus impendebant longè maxima, coram Imperatore Carolo potentissimo, Rege Ferdinando gloriosissimo & aliis Electoribus Serenissimis, ac Principibus Illustrissimis, publicum celesti veritati testimoniū perhibere non dubitavit, inque ejus confessione ad extremum usq; vitæ halitum, quicquid vel *a* Andreas Fabricius, vel *b* Frater Nafs, vel *c* Christophorus Ungersdorffius, vel *d* Johannes Valentinus Pistorius non modio, nec trimodio, sed integro horreo de ipsius apostasia admentiantur, Marpesiæ rupis instar constans perseveravit, ex quo etiam *Constantis* cognomen suo quodam merito obrinuit, qui proinde Davidicum illud jure potuit suum facere. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Avus Principis

*a) Fabricium in Epist. dedicat. Harmon. Aug. Conf. præfixa.*

*b) Fr. Nafs. Cent. 5. veritat. Evang. c. 65.*

*c) Ungersdorff. in Gratulat. ad Status Austria.*

*d) Pistorius in Coll. Moguntia An. 607. edito p. 431.*

*Psalm. 119. v. 35.*



DUCIS JOH. CASIMIRI.

cipis nostri celebratur *Johannes Fridericus, natus Elector Saxonia*, de quo Taubmannus seculi nostri Maro non abs re cecinit:

———— Tu Patris, Patruiq; binominis heres,  
Virtutes utriusq; geris &c.

*in carm.  
seculari.*

*Germanum ostendens specimen Patruiq;, Patrisq;.*

De hoc Johanne Friderico Historiæ memorant, quòd, cum nasceretur, ex utero materno crucem aureo colore fulgentem in dorso conspicuam secum attulerit, quam ubi Sacerdos, vir pius & admodum senex, à matronis aulicis accersitus conspexisset, ejusmodi ex ea præsagium collegit. *Hic Princeps gestabit crucem toti orbi conspicuam, cujus indicium tam manifestum in ipsius ortu se*

*Cbytr. lib. 2. Saxon. Bucholtz. ad ann. 1503. Dresser. millen. 6. part. 2. in vita Joh. Frid.*

*se exerit.* Nec fefellit eum animus. Ecquis enim non intelligit, crucem istam futuræ crucis & gravissimarum calamitatum, quas ob heroicam in Evangelii Confessione constantiam per totam vitam postmodum expertus est, prænunciam fuisse minimè falsam vel dubiam? unde etiam cognomen *magnanimi & invicti* retulit. Invictus profectò fuit, si non corpore, in quod fortunæ sinisteriori aliquid juris relictum, at profectò animo, de quo, quod fors sibi vendicaret, planè non habuit. Nullis enim minis, nullis injuriis, terriculamentis nullis adigi potuit, ut, quam semel agnoverat & ex limpidis Israël fontibus hauserat, doctrinæ purioris veritatem abjiceret ac Interimistico cothurno suffragium præberet, inde etiam post mortem à sancta Christi Ecclesia in tam memorabilis pietatis ac tam illustris constantiæ testimonium, ejusmodi obtinuit monumentum.

*JOHANNES FRIDERICUS, DEI gratiâ electus  
Martyr JESU CHRISTI, Dux afflictorum, Prin-*





## ORATIO FUNEBRIS

*ceps Confessorum fidei, Comes veritatis, Signifer  
 sanctæ crucis, exemplum patientiæ & constantiæ,  
 heres vitæ æternæ, obdormiscens in Domino migra-  
 vit ex hac vita miserrima in patriam cœlestem Vi-  
 nariæ 5. Martii Ann. 1554.* Descendimus tandem  
 ad Principis nostri Parentem *Johannem Fridericum II.* si-  
 ve medium, qui unâ cum fratre germano *Johanne Wil-  
 helmo Saxonix Duce* in Academia Witebergensi insi-  
 gnia præclari ingenii specimina in præsentia B. Lutheri  
 publicè edidit, & Academiam hancce nostram à *Johan-  
 ne Friderico* parente, nato Electore, conditâ, unâ cum  
 fratrib. germanis Illustrissimis *Johanne Wilhelmo & Jo-  
 hanne Friderico III.* die Febr. 2. Ann. 1558. solenniter in-  
 trodixit, ut vel hoc nomine Principi nostro Parentalia  
 ab hac Academia debeantur, nisi & suæ originis & debi-  
 tæ gratitudinis parùm memor audire velit. *Johannes*  
*ille Fridericus II.* ob proscriptorum quorundam re-  
 ceptionem, nescio quam, Imperii banno subjectus ac  
 post expugnatam Gotham Neostadium Austriæ in tri-  
 ste duodetriginta annorum exilium, abductus die  
 Maij 9. Ann. 1595. ultimam vitæ clausulam imposuit.  
 Qualem verò in hac diuturna calamitate sese gesserit,  
 manifestum faciunt libri, tum Theologici, tum Histo-  
 rici, tum Politici, quorum lectione vehementer fuit  
 delectatus. Sanctâ enim affirmare possum fide, in Bi-  
 bliotheca Principali Coburgica plura quàm centum  
 monstrari posse volumina, in quibus gnomas præci-  
 puas, quæq; scitu fuere digniora visa, suâ manu subdu-  
 ctis lineolis & ad marginem appositis summaris no-  
 tavit, quin & tantam Hebrææ linguæ cognitionem  
 sibi



DUCIS JOH. CASIMIRI.

libi comparavit, ut fontes veritatis absq; interprete & legere & intelligere posset. Qualem verò vitæ suæ im-  
 posuerit clausulam, non meis, sed Nobilissimi & emi-  
 nentissimi Theologi, Dn. D. Hoë utpote *αὐτῶν καὶ καὶ αὐ-*  
*τῶν* testis verbis exprimere malo. Sic verò ille in Epi-  
 stola dedicatoria Enchiridio Cantionum sacrarum præ-  
 fixa & ad Illustrissimum nostrum Principem, ejusdemq; *καὶ*  
 Fratrem germanum, directa loquitur. *Vel hoc nomine*  
*futurum spero, ut Illustrissimæ Vestrae Celsitudines libelli hu-*  
*jus dedicationem gratam habeant, ac me meosq; constanter*  
*clementiâ complectantur, quòd parens Vestrarum Celsitud. ho-*  
*noratissimus, cujus pietas & vera religionis zelus toti orbi in-*  
*notuerunt, ad beatissimum usq; obitum singulari me fove-*  
*re voluit gratiâ & benevolentiâ: unde etiam morientis le-*  
*ctulo astiti, extremis ejus suspiriis interfui, ac meis hisce au-*  
*ribus hausi, meis hisce oculis conspexi, quàm egregiam fidei*  
*sua confessionem paulò antè obitum ediderit, quàm forti ac*  
*præsente animo in ipso etiam mortis agone fuerit, seq; dictis*  
*Scripturae maximè consolatoriis & sacris cantionibus exere-*  
*xit.* Abavia Illustrissimi nostri Principis fuit *Elisabe-*  
*tha*, Alberti Bavariz Ducis filia; Proavia *Sophia*, Ma-  
 gni, Ducis Megapolitani filia; avia, *Sibylla*, Johannis  
 Ducis Juliacensis filia; mater *Ehsabetha* Friderici Pa-  
 latini Electoris filia, omnes & stemmatis Celsitudine  
 & pietatis laude & Principalium virtutum decore Il-  
 lustrissimæ, honoratissimæ, inter cœlites beatam vitam  
 agentes.

Atq; hi sunt Principes nostri Majores gloriosissimi,  
 ex quibus magno Reipubl. bono 12. Junii Ann. 1564. in  
 arce Gothana, Grimmensteinio dicta, in lucem editus,  
 ab iisdem nunquam satis laudatis parentibus cum *αὐτῶν*

inge





## ORATIO FUNEBRIS

Plato in  
Menone.

ingenium felicissimum, cum ingenio bonam indolem, cum bona indole vivum virtutis seminium excepit ac cum lacte materno quasi imbibit, ut ad regimen non tam formatus, quam natus; non tam imbutus, quam ab ipsa Naturâ, vel Naturæ potius Domino coagmentatus censeatur, ac meritò de ipso Platonice illud usurpetur, ἀγαθὸν ἔδδ' αὐτὸν γενέσθαι, Ἀγὸς τὸ φῦμα ἐξ ἀγαθῶν, bonū ipsum extitisse oportuit, quia ex bonis ipsum nasci contigit. Annus ille, quo Princeps hic noster primam lucis usuram cepit, exequialis fuit Imperatori Augustissimo Ferdinando I. qui referente Cratone à Crafftheim, Medico Cæsareo Cubiculario, crebro sermone isthac usurpare fuit solitus. *Inter summa, quæ Deus in gubernatione Imperii mihi concessit, primum atq; maximum vero animi iudicio hoc duco, quòd ad sedandas discordias publicas animum adieci & Pacificationis in Religione formulam DEUS in mentem mihi dedit.* Si idem omnibus in Imperio successoribus, uti etiam Electoribus, Principibus ac Statibus semper fuisset, atq; adhuc esset animus, si Palladium hoc pacis & tranquillitatis publicæ majore studio fuisset custoditū, non esset, quòd hac tempestate de bellorum intestinorum gurgitibus, universam Germaniam penè absorbentibus, tantoperè conquereremur. Videtur autem jacturam illam, quam in morte Ferdinandi I. Imperium Romanum fecit, in nativitate Principis nostri, pacis studio Imperatori isti haudquaquam imparis, benignissimus DEUS compensare voluisse, cūm publicè notum sit, nostrum huncce Principem à bellis toto animo abhorrentem, ditiones ac terras potestati suæ subjectas per omnem vitam pacatè & quietè gubernasse.

Sed



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

Sed de familia & majoribus *μακαρίτης* nostri, plura in medium proferre superfedeo, ne propriæ laudis indigus, à progenitoribus alienam emendicare necessum habere videatur.

*Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra puto.*

A nativitate igitur ad educationem spectandam, Vos mecū, Auditores, deduco. Ut filium huncce suum *Θεόδωρον*, parentes Illustrissimi Baptismi sacris maturè initiandum & militiæ Christianæ albo adscribendum curârunt: ita postmodum nihil prius aut antiquius habuerunt, quàm ut piâ ac fideli institutione ad omnes virtutes, eas præsertim, quæ in Principe requiruntur, rectè formaretur, præclarè enim noverant, verè à Plutarcho dictum esse, *πηγὴ καὶ ρίζαν τῆς καλοκαγαθίας εἶναι, νομίμῃς ἰσχῆν παιδείας*, quòd *fons & radix omnis probitatis sit, legitimam nancisci educationem*. Quamvis verò bonum hoc Principi nostro minimè fuerit diuturnum, siquidem, cum nondum trimulus esset ille noster, ea inciderunt tempora, ad quorum recordationem animus totus cohorrescit, quippe in quibus belli Gothani incendium exarsit, quod arciæ fortalitio Grimmensteinensi exitium, Principis verò nostri parentibus pientissimis triste exilium attulit; tutores tamen Principi nostro dati Electores, quos ita vocant, seculares Fridericus III. Palatinus, Augustus Saxo & Joachimus II. Brandenburgicus, qui regimini Ducatus Saxo-Coburgici, Comitem Barbiensem Burchardum; educationi verò juniorum Principum præfecerunt Christophorum à Niswitz & M. Sebastianum Leonhardū, ne deesset illis bonum longè maximum, de quo Plato scribit, *plurimos è Persicis Regibus non nisi nomine magnos*  
D *fuis-*

lib. πῆ  
παιδῶν ἢ  
γαλήνη

Sed



## ORATIO FUNEBRIS

*lib. 3. de Legib.* fuisse, hanc solam ob causam, quòd prima illorum aetas rectè à institutione caruerit. Informationis & conversationis consortes fuère Johan. Ernestus Dux Sax. frater germanus, Wilhelmus Dux Brunsvicensis & Lünæburgensis, Philippus Ernestus & Georgius fratres Comites à Gleichen, Ernestus Comes ab Hohnstein, Henricus Schenck L.B. in Tautenburg & ex ordine Equestri Nobiles selectissimi octodecim. Memini verò, ne quid prudens sciens reticeam, nec vel veram laudem simulando detraxisse, vel falsam, assentando Principi nostro, affinxisse videar, ipsummet Principem nostrum non semel de laxiore & indulgentiore educatione, graviter conquestum fuisse, cujus rei culpa penes quos resederit, meum non est judicare, vel divinare. Expertus igitur fuit Princeps noster, verissimum omninò esse illud Ambrosii. *Lubrica & perplexa sunt viae juventutis, ac juvenis non solum fragilitate aetatis prolabitur, verum etià ignorantia celestium mandatorum delinquit.* Sed bene habet, quod Mediolanensis ille Episcopus statim subjungit: *Cito meretur veniam, qui praetendit ignorantiam.* Si quod ergo juvenile erratum vitio liberioris educationis, adeoque aliorum culpam ceream huic aetatis parti, strictioris disciplinae cancellis coercendam, sese intermiscuit, quod tamen non trabis alicujus, sed vix tenuioris festucae loco habendum, illud non solum mature correxit, cum Psalte Regio ingemiscens, *Delictorum juventutis meae non memineras Domine, sed etià accedente jam aetate solidiore, largissimo virtutum cumulo abundantissimè compensavit.* Neque enim ex eorum numero esse voluit, qui in verno aetatis flore constituti, uberrimae virtutis, tanquam messis cujusdam fertilioris, spem de sese praebent amplissimam, quae tamen mox veluti sidere quodam

*30. orat. funebri de obitu Vasentin.*

*Psal. 35. 71*



DU CIS JOH. CASIMIRI.

dam & pestilenti afflatu seu voluptatibus suffocata, seu calamitatib<sup>9</sup> exusta penitus exarescit. Longè alia mens, alius animus Principi nostro fuit, *is non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem* desiderans, ac florentium artium viriditatem in bonarū literarum studia impendenda esse rectè statuens, unà cum fratre Illustrissimo in Academiam Lipsiensem Ann. 1578. sese contulit, inq; ea ad omnem pietatis, virtutis & eruditionis culturam per integrū triennium institutus, illam secum reportavit bonæ mentis frugem & virtutum Principe dignarū supellectilem, ut in Comitatu Electoris Saxoniae Augusti ad Comitata Ann. 1582. Augustæ celebrata profectus Imperatoris & Principum Imperii favorem sibi conciliârit, ac progressu temporis animum heroicum ac virtutes Principe dignas magis magisq; exerens, idoneus judicatus fuerit, cui tutelâ Electoralium Curatorum emancipato, fasces imperii traderentur ac ditiones, jure Naturæ parenti debitæ, gubernandę ipsi cōmitterentur, id quod factū Ann. 1588. Hic verò justâ oratione & copioso sermone mihi explicandū foret, quantā cum laude imperium sibi commissum, ultra annos quadraginta administraverit, quanto virtutum splendore ipsius regimen coruscaverit, quā benevolentia & clementia illud consecutus fuerit, ut subditi in ipsius obitu, *non Magistratū, sed salutem ipsam sibi ereptam statuunt, nec tanquam Principem sibi, sed tanquā parentem publicum obiisse, domestico fletu doloris illachryment, suaq; omnes funera lugeant*, ut Mediolanensis Episcopi verba jam mea faciam. Ac optârim sanè, voluntati meæ parem adesse facultatem, ut orationis exquisitæ penicillo virtutes Principis eximias, ac res in gubernatione præclarè gestas exprimere

Ambros. in  
orat. de  
obitu Val-  
entin.



## ORATIO FUNEBRIS

possem universas, ut effigies ipsius accuratâ artificii oratorii elegantia & vivido colore depicta, vos omnes ad amorem & admirationem provocaret. Sed cum ad illud nostra jam descendere debeat oratio, amplissimum quendam prospectat campum, in quo tam longus virtutum exercitus suis clarissimis splendescit signis, ut earum stupefacta numero, terminum prospectu ementiri minimè possit. Imitabor igitur pictores, qui, cum ob tabellæ exiguitatem, justam hominû singulis membris effigiandorum staturam sese assequi posse desperant, summos duntaxat illorum vertices, densâ serie sibi invicem incumbentes, utcunq; exprimunt. Duas igitur cum primis virtutes, quarum Princeps noster toto gubernationis tempore fuit cultor studiosissimus, vivis depictas coloribus in hanc orchestram laudis producam, & ob oculos vobis sistam, pietatem scilicet & justitiam, duos illa Reipubl. benè constituendæ fulcra, ex quarum *συζυγία* suavissima non solùm omnis *Ετυχία*, sed etiam omnis *καλοκαγαθία*, ac reliquæ virtutes omnes originem sortiuntur, reliquarum autem virtutum prima duntaxat ducam lineamenta.

Atq; ut à pietate ordiar, apud Ægyptios in more positum fuisse legimus, ut si qui post obitum in publico laudandi essent, eorum duntaxat pietas ac religio nullâ aliarum rerum mentione factâ, commendaretur, cum hæc non solùm reliquarum virtutum omnium procreatrix, sed etiam actionum præstantium gubernatrix sit, absq; pietate verò virtutes omnes nihil aliud sint, quàm simulachrum inane, imò cadaver quoddam putridû ac inanime. Quinimò hæc virtus, pietatem dico, omnibus ad Reipubl. clavum sedentibus, non solùm

utâ:



DU CIS JOH. CASIMIRI.

utilis est & proficua, sed etiam maximè necessaria. Cùm enim pietas ac Dei timor sit quoddam quasi frenum ac repagulum, quo in officio continetur Magistratus, præsertim superior, fieri profectò nequit, quin sublatâ ex Magistratuum animis pietate, abusus potestatis turpissimus consequatur; ac veluti venenum forti infusum omnes ab eo deductos inficit rivulos: sic à Principe ad omnes subditos impietas sese diffundit, ex quo everisionem Reipublicæ tandem oriri necesse est. In Principe verò nostro pietatem nemo unquam desideravit. Illa apud nostrum hunc non hospitabatur tantùm, vel peregrinabatur, sed stabile atq; fixum habebat domicilium; nec in primoribus tantùm labiis sessitabat, sed in imo pectoris habitabat, quod uti penitus cognoscatis, in rem præsentem, Auditores, Vos deducam.

Pietatis partes duæ sunt, *verus de Deo sensus, & verus in Deum cultus.* Quòd si ergo manifestum fecero, utrumq; horum in Principe nostro locum habuisse, veræ pietatis cultorem ipsum fuisse, dubitare nemo amplius poterit. Ad verum de Deo sensum pertinet, quòd Princeps noster salvificam veri Dei cognitionem, ex revelato ipsius verbo hausit, omnibus terrenis & caducis rebus longissimè anteposuerit, ac puram & verè Lutheranam doctrinæ coelestis sinceritatem, ab omni Pontificiorum, Calvinianorum & fanaticorum quorumvis erroribus defecatam, impensè amaverit & fideliter amplexus fuerit. Crebro sermone usurpare consueverat, *Pontificios nimis multa credere, cùm divino verbo scripto humanarum traditionum somnia & Pontificis Romani placita adjungant; Calvinianos ex adverso nimis pauca credere, cùm verbis Christi Salvatoris quibus veram, realem &*



ORATIO FUNEBRIS

Deut. 4.  
v. 2.  
Matth. 22.  
v. 29.

Zenocarius  
in Vita Car-  
oli V.

Sap. 6. 4.

substantialem corporis & sanguinis sui in Eucharistia  
præsentiam confirmat, propter absurdum in iudicium  
corruptæ rationis incurrens, fidem derogent. Illos *verbo*  
*aliquid addere, hos verò detrahere; illos Scripturas, hos ve-*  
*rò virtutem Dei ignorare;* utrumq; verò in vitio esse, u-  
trumq; lege divinâ prohiberi. Ad verum Dei cultum  
pertinet, quòd in precibus fuerit frequens & assiduus,  
quas singulis diebus quamprimùm solut<sup>o</sup> somno lucē,  
aut illo superatus, noctem apprehendebat, devotè reci-  
tabat, matutinum ac vespertinum sacrificium hac ra-  
tione DEO suo offerens, quod uti prætermitteret, nul-  
lâ vel negotiorum varietate, vel itinerum difficultate  
se se impediri patiebatur. Præclare noverat, impe-  
randi artem esse omnium maximam ac difficilissimam,  
constitutos in dignitatum fastigio ad lapsus & potesta-  
tis abusum esse admodum præclives, ac variis odio-  
rum, insidiarum ac periculorum turbinibus, velut tur-  
riâ cacumina ac ædium culmina ventis, esse expositos,  
ut proinde preces quotidianæ, eademq; seriæ, illis sine  
vel maximè necessariæ, quibus & divinam *Φυλακίαν*  
& Spiritus sancti *παρεδρίαν* & subditorum *πειθαρχίαν* &  
regiminis *ὀνημερίαν* à DEO possint impetrare. Igno-  
tum ipsi minimè erat, fidei murum tentationum & ad-  
versitatum arietibus durius pulsatū & frequentius con-  
cussum facilè nutare ac vacillare, nisi divino auxilio  
piis precibus obtinendo suffulciatur, unde Caroli V.  
Imper. Augustiss. exemplo *sepiùs cum Deo, quàm cum ho-*  
*minibus loquebatur.* Ad verum DEI cultum etiam hoc  
referendū, quòd potestatem à DEO se accepisse & ad ra-  
tionem ipsi aliquando reddendâ se obstrictum esse, re-  
verenter agnoscens, singulis momentis hæc sibi ipsi ab-  
eri-



DUCIS JOH. CASIMIRI

eximio morū Magistro Seneca mutuò accepta dicebat: *lib. 1. de clemētē*  
*Hodiē Imperatori summo, Regum Regi & Domino dominantū, cap. 10.*  
*siā merationem repetet, annumerare subditos mihi concedi-*  
*tos paratus sum.* Ad verum DEI cultum pertinet, quòd,  
cū Princeps noster sciret, se *E/a. 49.*  
*ut Constantinus Magnus loqui fuit solitus, extra Ec-*  
*clesiam Episcopum divinitus esse constitutum, subditis* *Euseb. lib. 4. de vita*  
*fidei ac curæ suæ commissis de salutari verbi coele-* *Constant. cap. 24.*  
*stis pabulo, ac suarum ditionum Ecclesiis & Scholis*  
*de sinceris ac fidelibus doctoribus sollicitè prospe-*  
*xit ac neminem officio alicui vel Ecclesiastico vel Scho-*  
*lastico præfici voluit, nisi prius ad doctrinam in libris*  
*Ecclesiarum nostrarum Symbolicis, videlicet in Au-*  
*gustana Confessione invariata, ejusdemque Apologia,*  
*in articulis Schmalcaldicis, Gatechesi Lutheri utraque*  
*& Formula Concordiæ comprehensam juramenti re-* *Pfal. 2. 46.*  
*ligione sese obstringeret; quòd apertis Regi gloriæ* *6. 7.*  
*portis Ecclesiæ & exulibus à vicinis Episcopis Pontifi-*  
*ciis, ob veræ religionis professionem ejectis, hospitium*  
*præbuit; quòd generalem Visitationem Ann. 1613. ac*  
*speciales complures institui curavit; in quibus & Pa-*  
*stores & Auditores sui admonerentur officii, ac publi-*  
*ca scandala disciplinæ severitate tollerentur; quòd pe-*  
*culiarem Constitutionē Ecclesiasticā ex Electorali Sa-*  
*xonica & aliis probatoribus compluribus, meâ quali-*  
*cunq; operâ congestā, ante octenniū in publicū edi jussit,*  
*ut Ecclesiarum Ministri certam Ecclesiastici sui mu-*  
*neris haberent normam atq; regulam; quòd docentes*  
*in Ecclesiis & Scholis liberaliter & honestè sustentavit,*  
*auctis eorum ex bonis Monasteriorum annuis sala-*  
*riis; indè cū Ann. 1610. Coloniz ad Rhenum Lo-*  
*thia*





## ORATIO FUNEBRIS

tharius Trevirensis ArchiEpiscopus & Elector ex Prin-  
 cipe nostro quæreret, *an ipse quoq; exemplo aliorum Prin-*  
*cipum bona Ecclesiastica in usus profanos converterit,* respon-  
 dit, me audiente, optimus Princeps: Ego verò ad susten-  
 tandos fideles Ecclesia Doctores, ad erigendas scholas, ad alen-  
 dos pauperes bona illa converti; *viderit autem vicinus meus*  
*Herbipolensis Episcopus, quid pro se respondere possit, qui longè*  
*plura Ecclesiastica bona occupavit.* Ad verum Dei cultum  
 pertinet, quòd liberalia accisioris rei Studiosis eroga-  
 vit stipendia, quibus in Academiis sese sustentarent, &  
 ad capeffenda aliquando in Ecclesia vel Republ. officia  
 publica sese præpararent, ut neutris deessent homines  
 idonei, qui velut succrescentes furculi annosis arborib;  
 progressu temporis substituerentur. Illud verò singula-  
 re meretur laudis præconium, quòd non solùm Gotha-  
 num *Φροντιστήριον*, præclarū istud eruditionis *παδευτήριον*  
 ac virtutis *εργαστήριον*, munificentissime auxit & ampli-  
 ficavit, sed etiam Coburgi novum planè Gymnasium  
 erexit, cujus ædes magnificas ac splendidissimas à fun-  
 damentis excitavit, atq; eâ formâ exædificari curavit,  
 ut non solùm duobus Auditoriis capacissimis sit instru-  
 ctum, sed etiam Rectori & Oeconomo commodam ha-  
 bitationem præbeat: insuper etiam redditibus amplif-  
 simis ac fundis fertilissimis illud dotavit, Philosophiæ  
 Magistros ac superiorum etiam Facultatum Doctores  
 & Professores, eruditionis copiâ instructissimos ac fa-  
 mæ celebritate clarissimos, eidem præfecit, à quib⁹ divi-  
 na & humana sapientia discentium animis feliciter  
 instillaretur. Quin & œconomiam sive convivitorium  
 in eo adornavit, in quo Studiosi pauperculi vel planè  
 gratis, vel exili precio alerentur, ut hac ratione perpe-  
tuum



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

tuum Gymnasii extaret fundamentum; quæ omnia publicâ introductione in ipsius Principis & Statuum Provincialium præsentia 3. Julii Ann. 1605. solenniter fuere confirmata & in omnium notitiam perducta. Ex hoc Casimiriano, (ita namq; à conditore denominatur) velut ex equo Trojano, prodiere hætenus adolescentēs quàm plurimi, artium & linguarum cognitione apprime instructi, qui in Academiis, (quarum præsidia & seminaria meritò censentur Gymnasia, quibus illæ velut cælum Atlante suffulciuntur,) exiguo temporis spacio felicem studiis suis imposuere clausulam ac non rarò, uno duntaxat in Academiis exacto anno, supremam in Philosophia lauream summâ cum laude reportârunt. In seculum ibit hoc insigne Principalis pietatis documentum, nec ullius secuturae ætatis homines oblivione illud deleri atq; obliterari patientur. Quamvis verò in hac novi Gymnasii erectione Princeps & pietati suæ munificæ & piæ munificentiae omnium bonorum judicio abundè satisfecerit, sibi ipsi tamen nondum satisfacisse visus fuit; unde etiam Academiam hanc nostram, ab avo Johanne Friderico nato Electore beatiss. mem. conditam, à parente Johanne Friderico II. itidem feliciss. recordat. introductam, non solum ante annos complures, unâ cum *Friderico Wilhelmo Saxoniae ProElectore* *Ἰωάννου ἐν ἀγίοις*, pecuniæ summâ non mediocri, octo scil. millibus florenorum, in usum peculii beavit, sed etiam haud ita pridem Legato non contemnendo in Testamentaria dispositione eandem condecoravit, cujus beneficii fructum posteritas, si quæ futura est, percipiet longè uberrimum, & quod animi est haud ingrati, summis nobiscum laudibus in cælum eandem extollet atq; evehet.

E

Anim.



## ORATIO FUNEBRIS

Animadvertitis, Auditores, quàm multiplices ac insignes fructus Principis nostri pietas protulerit. Illius nutriculam cum sciret esse verbi divini studium, ideò *in Psal. 1.* Scripturam sacram, instructissimum illud *ἡσ ψυχῆσ* *ιαργείον* ac *Medicam animarum officinam* à Basilio dictam, quotidianà lectione sibi familiarem reddidit, ac conciones sacras septimanis singulis duas, sapissimè ternas, sedulò atque attentè ut plurimum stando audivit. Delectabatur verò ejusmodi concionibus, non quæ solo verborum apparatu & ornatu luxuriabant, quas vineæ ipsum conferre memini, in qua pampinorū multū, uvarum verò parum; nec eas, quæ fabulosis de Sanctorum vita narrationib. contexebantur, quales à sacrificulis Pontificiis se quandoq; audivisse, referebat, sed quæ Scripturæ sententiis convenienter adductis sunt stipatæ & condensatæ, quæ ad captū rudiorum accommodatæ, quæ solidam textus expositionem, velut basin, substernunt & ex ea doctrinas personis & temporibus convenientes deducunt, quâ in re secutus fuit judiciū Friderici Saxon. Electoris, cognomento Sapientis, de quo B. Luther, memorat, quòd cum aliquando mentio incideret eorum, qui ad populum declamarent, præsentè Johanne Staupitio, Augustinianorum Vicario, dixerit, *conciones illas, quæ argutiis & traditionibus humanis constarent, mirificè frigere, ac ad persuadendum nihil planè virium habere nec nervorum; siquidem nihil queat adduci tam acutum, quod non queat rursus aliâ argutiolâ refelli; Scripturam verò sacram unam & solam esse, quæ tantâ majestate & ἐνεργείᾳ etiam, citra operam nostram, sonet, ut captis consumtisq; mox omnibus omnium disceptationum machinationibus, urgeat & cogat dicere: Nunquam sic locu-*

*in præfat.  
super operatione,  
in Psal. 22,  
prieores.*



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

*tus est homo; hic digitus DEI est.* Cæterum quia dili-  
 gens & assiduus erat verbi divini auditor, ideò etiam  
 præcones ejus in precio & deliciis habebat, ac quod  
 in CONSTANTINO MAGNO laudat Eusebius, lib. 1. de vita  
 Constantini cap. 35.  
*mensæ suæ participes illos sapius faciebat; quin & ipsos ve-*  
*lut animæ custodes in itineribus secum ducebat, quod in*  
 eodem Imperatore idem scriptor commendat. Ce- lib. 2. de  
 vita Constantini  
 cap. 4.  
 lebratur Alberti Borussia Ducis votum, quo solitus  
 fuit exoptare, *sibi semper ad latus esse Theologos decem,*  
*vitâ & doctrinâ probatos, sic enim futurum se sperare, ut*  
*& suavius vivere & beatius aliquando mori possit.* Idem  
 profectò fuit etiam nostri Principis votum, pios Theo-  
 logos & fideles Ecclesiæ Ministros lateri suo adjun-  
 gere gestiebat, familiariter cum illis conversabatur,  
 nunquam sine honoris præfatione eos compellabat, il-  
 lorû *vs* *θεοί* ac *Πατριάρχαι* moderatè ferebat, quandoq;  
 etiam præmia pro illis offerebat, secutus hac in re ejusdè  
 Friderici Sapientis exemplum. Apud illum Ecclesiastæ Wolf. Cent.  
 16. lect. me-  
 morab. p.  
 140.  
 aulici officio fungebatur Monachus quidam Dominicanus,  
 Gregorius dictus, qui cum aliquando vitia in Principe  
 taxare vellet, nec tamen apertè illud facere auderet,  
*Concionatorem, præsertim aulicû, dicebat, similem esse illi, qui*  
*pellem lepori detrahit. Et si enim à toto corpore facillè detrahatur*  
*corium, tamen cum ad caput ventû est, aliquid suboriri diffi-*  
*cultatis. Pari ratione Ecclesiasten, dum populi vitia taxat, ni-*  
*hil molestiæ sentire, sed cum ad caput manus admovenda,*  
 (quæ verba proferens digito Principem demonstrabat)  
*alius te distingat, da streisse dich ein ander/ quâ reprehensionem*  
 liberiore tantùm abest, ut sapientissimus & mo-  
 deratissimus Princeps fuerit offensus, ut Monacho  
 etiam novam vestem donaverit. Eodem omninò animo



## ORATIO FUNEBRIS

Princeps noster redargutiones Ecclesiasticas sive privatim, sive publicè institutas acceptabat, memini enim ipsum aliquando Concionatori aulico dicere: Strafsset jhr nicht / was zu straffen ist / so wird Gott euch straffen.

2. Sam. 13.  
v. 14.  
1. Paral. 18.  
v. 14.

Contemplati sumus hactenus vivam in Principe nostro pietatis effigiem, intueamur etiam justitiæ simulachrum in eodem nobis propositū. Davidem Regem, qui fuit *vir secundum cor Dei*, Spiritus sanctus prædicaturus hocce brevi elogio omnia complectitur, quòd *judicium & justitiam fecerit universo populo*. Id ipsum de nostro Principe sanctâ fide affirmare possumus, quòd ipse quoq; subditis omnibus & singulis judicium & justitiã æquâ lance administraverit. Non solùm enim Consiliarios cognitione juris exquisitâ, prudentiã eximiã, experienciã multiplici & requisitis ad sententiam in casibus dubiis ferendam necessariis omnibus instructissimos lateri suo adjunxit, eosq; in partem sollicitudinis & regiminis ascivit, sed etiam in singulis Præfecturis & Oppidis, addo etiam pagis, inferiores Judices constituit, iidemq; in mandatis dedit, ut absq; *προσωποληψία*, absq; *πάθων ἀταξία*, absq; *προπέσεια*, absq; *δωροφαγία* rectum ferrent judicium. Quid Curia Provincialis, quid Scabinatus, quorum utrumq; Princeps optimus salutari consilio in Ducatus metropoli instituit, quid tribunal Appellationum, quid, inquam, isthæc omnia aliud censerì possunt, quàm publicæ juris dicendi officinæ, quàm justitiæ templa, quàm salutaria litium remedia? Coram Provinciali illa Curia seipsum quoque, si qua fortè de ipsius gubernatione audita fuerit querela, conveniri posse decreto sancivit, raro certè & in paucis Principum familiis usitato exemplo. Ab hoc justitiæ tra-

mite



DUCIS JOH. CASIMIRI.

mite Princeps noster tam non potuit dimoveri, quam  
 Sol à linea Ecliptica. Nihil dabat fumoso generis ty-  
 pho, nihil intercessionum præposterarum cumulo, ni-  
 hil munerum precio, sed fontes meritis curabat affici  
 suppliciiis, cum probè sciret, *facilitatem venia incenti-*  
*vum tribuere delinquendi, ac bonis illum nocere, qui malis præ-*  
*posterè velit parcere.* Ludovicus cognomento Divus Gal-  
 liæ Rex, cum ex Psalmis Davidicis precum formulam  
 aliquando recitaret, intervenit aliquis suppliciter &  
 humiliter petens, ut cuidam capitalis supplicii reo pœ-  
 nam Rex remitteret. Rex quasi aliud agens petitioni  
 annuit, sed cum incidisset in versiculum 3. Psal. 106. *Bea-*  
*ti, qui faciunt justitiam in omni tempore, mox revocari eum*  
*jussit, cui gratiam concesserat, eamq; irritam fecit, me-*  
*morabili editâ sententiâ, Principem, qui punire crimen pos-*  
*sit, nec tamen puniat, non minus esse reum, quàm si ipsemet il-*  
*lud perpetrasset; animadvertere in facinorosos, non esse crude-*  
*liter agere, sed misericordiam exercere, pioq; munere defungi.*  
 Perennis ille justitiæ vigor & Principi nostro felici-  
 tatem & ditionibus ei subjectis tranquillitatem pepe-  
 rit, ut quilibet subditorum *sub vinea & ficu sua quietè a-*  
*gere potuerit.* Verissimè enim pronunciatum à Constan-  
 tino Imp. & re & nomine magno in Edicto publico ad  
 Provinciales Palæstinæ; *Si quis superiora tempora huc usq;*  
*continuata animo percurrat & priores res gestas acie ingenii*  
*contempletur, reperiet, omnes, qui fundamentum rerum geren-*  
*darum in justitia & bonitate posuerunt, conatus suos ad feli-*  
*cem exitum perduxisse, & tanquam ex suavi quadam radice*  
*dulcissimum fructum percepisse: quod ipsum etiam Ethni-*  
 cis ex Naturæ lumine innotuit. Ochus namq; Rex, cum  
 diu felicissimè regnasset ac moriturus tandem à filio

Ambros. in  
 Psal. 118.  
 c. Est injus-  
 ta 23. q. 4.  
 Nicol. Gilo-  
 lius in An-  
 nal. Gallia.

1. Reg. 4.  
 v. 25.  
 apud Euse-  
 bium lib. 2.  
 de vita  
 Constant.  
 cap. 25.

Athen. lib.  
 12.



## ORATIO FUNEBRIS

lib. I. de vi-  
ta Constanti-  
ni cap. 1.

natu majore, regni successore, interrogaretur, *quanam ratione, quibusve artibus regnum tot annos, pacatum & incolume conservasset?* respondit, *τὰ δίκαια πρὸς πάντας ἀνθρώπους καὶ θεούς, justa erga omnes homines, Deosq; faciens.* Hæc pacati regiminis diuturnitas, humanæ felicitatis pars non postrema, etiam nostro Principi DEI benignitate obtigit. Quòd si ergo Eusebius singulari DEI erga Constantinum Imperatorem pietati tribuit, quòd annos Imperii triginta, vitæ verò sexaginta ipsi concesserit; *DEUS, inquit, ipsum tanquam maximum luminare & præconem vera pietatis faciliè clarissimum, variis uniuscujusq; generis bonis ei suppeditatis, aspectui hominum subjecit ad intuenti ac regni tempus ad amplius triginta annorum curricula plenè expleta, confectaq; cum summo honore illi propagavit:* quantò major felicitas æstimanda, quòd nostri Principis vitæ annorum decuriam, imperio verò annorum ultra sesquidecuriam, is, qui est longitudo dierum nostrorum & diribitor regnorum, clementissimè adjecerit.

lib. de ca-  
ritate.

Diximus de Principis nostri pietate & justitia, copiosè quidem, si verba numeres, sed meritis Principis longè inferiora attulimus. *Solent autem, inquit Philo, pietatem comitari virtutes reliquæ, à qua non magis divelli possunt, quàm umbra à corpore, quod in Sole versatur, quæ & pietatis & justitiæ soboles generosissima, haud immeritò censentur.* Istiusmodi virtutum præclarissimarum cumulus longè maximus in Principe nostro sese conspiciendum offert. Verè enim de ipso prædicare possumus illud Pindaricum, quòd *flores ex omnibus virtutibus decerpserit;* uti etiam illud Neoclis, quòd *omnes atomi virtutum in illum confluerint,*



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

xerint, ac quod de Constantino suo prædicat Euse-  
buis, quòd *per omnes virtutum quasi regiones peragrans* lib. I. de Vi-  
ta Con-  
stant. cap.  
4. *vario ac multiplici fructu illustrem sese reddiderit.* Illas  
verò Principis nostri virtutes carptim atq; strictè per-  
sequar, ac ut sacra cum silentio magis, quàm plausu  
spectamus, sic virtutes ipsius admirando potius ve-  
nerabor, quàm prolixiore sermone adornando re-  
censebo. Pietatis anima est vera in CHRISTUM  
*fides*, fides vera & viva per *dilectionem* est efficax, di- Gal. 5. v. 6.  
lectio per *φιλησυχίαν* ac *studium concordia* sese exerit.  
Illud verò in Principe nostro emicuit fulgore maxi-  
mè conspicuo. Ut enim à conjugali amore, qui in  
terris summus est, exordiar, vixit noster ille Prin-  
ceps cum conjugè Illustrissima, Vidua jam mœstissima,  
concorditer & conjunctissimè. Postquam enim prius  
conjugium, quod cum Illustrissima Principe ANNA  
Saxonix Electoris, & re & nomine Augusti, filia 4. De-  
cembr. Ann. 1585. contractū novimus, post annos non  
ita multos infelici fato dissilierat die 16. Septemb. An-  
no 1599. ad secunda vota transiens in vitæ toriq; sociā si-  
bi ascivit Illustrissimam ac Celsiss. Principem ac Domi-  
nam, Dnæ. *Margaretam* ex Ducali Lunæburgensium  
Principum familia oriundam, quam si heroinam pien-  
tissimam ac prudentissimam, si speculum foeminei se-  
xus, si coronam Principalium & matrimonialium  
virtutum dixero, nil nisi verum me dicere ad aram  
Fidei in templo Veritatis liquidò jurare poterò. Quam-  
vis verò conjugium hocce posterius æquè ac prius fue-  
rit illibere, non tamen defuit mutui amoris illicium,  
ac vinculum, compositi scil. optimæ Principis mores,  
obsequium religiosum, comitas admiranda, unde in  
hoc



## ORATIO FUNEBRIS

hoc conjugio nihil dissidii, nihil litigii, sed omnia amica, blanda & suavia. Conjunctissimè insuper ac concorditer vixit Princeps noster cum fratre germano atq; unico *Illustrissimo ac Celsissimo Principe ac Domino, Dn. Johanne Ernesto Saxonie, Juliae, Cliviae ac Montium Duce*, quem si ob pietatem, affabilitatem, animi moderationem ac studium beneficentiae delicias generis humani & orbis Christiani dixerò, nemine adversante vel repugnante me id facturum confido. Illum verò Princeps noster summam profecutus est fide & amicitiam, illum impensè amavit, illum in oculis tulit, illius conversatione maxime delectatus fuit, cum illo communicatam prius sententiam omnia in Republ. statuebat, cujus rei dubio procul testimonium esse voluit Princeps noster Symbolum illud suum: *Pax nutrit, Concordia destruit: Friede ernehret / Unfriede verzehret*; cui respondet illud Salustianum, cui multum se debere Agrippa dicebat: *Concordiam parvae res crescunt, Discordiam maxima dilabuntur*. Itemq; illud Sillii: *Parvis dives concordia rebus*. Ex hac fraterna concordia, quae inter utrumq; ad extremum usq; habitum viguit illibata, inter caetera etiam istud bonum progerminavit, ut amor iste mutuus cum aetate in utriusq; periculis & gravissimis deliberationibus incrementa coeperit longè maxima, ac ditionibus ipsorum robur & securitatem, ipsis verò Principibus benevolentiam & admirationem apud omnes conciliaverit. Conjunctissimè & concorditer vixit Princeps noster cum agnatis in Electorali ac Ducali Domo Saxonica Illustrissimis. Postquam enim Ann. 1609. omnibus simultatum fibris, quae superiorum temporum injuriam succreverant, radicitus evulsis, cum Electorali Domo Saxonica in gratiam



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

tiam rediit, ex eo tempore Serenissimi ac Potentissimi Saxoniae Electores *Christianus II. b. m.* & qui hodie rerum potitur *Johannes Georgius* singulari benevolentia ipsum, utpotè familiae Seniores, fuere complexi, communicatis cum ipso negotiis gravissimis, Imperii & Domus Saxonicae salutem concernentibus, id quod nemini ignotum, nisi fortè cujus aures è Germania ultra annorum *cináda* fuere peregrinatae. Conjunctissime & concorditer vixit cum Principibus Rom. Imperii reliquis Evangelicae religioni addictis, qui pleriq; omnes vel sanguinis propinquitate, vel generis affinitate ipsi fuere conjuncti: quin & cum vicinis Episcopis Bambergensi ac Herbipolensi concordiam aluit, eorumque animos ob ditionum viciniam variis officiorum generibus suo sibi merito conciliavit. Emicuit etiam in Principe nostro singularis *erga subditos amor ac benevolentia*, per quam illud consecutus est, ut cum Eberhardo Duce Wurtembergico *tutus in gremio cujusvis subditorum suorum dormire potuerit.* Erat optimus Princeps erga suos mitissimus; eorum commoda, quantum poterat, promovebat, ac, ne nimiùm onerarentur, diligenter cavebat. Nulla nova tributa illis indicebat, nec novis exactioibus ipsos macerabat, ne lateres duplicarentur, ac boves illis, qui vitulos ferre non possunt, imponerentur. Noverat, *boni Pastoris esse, tondere pecus, non deglubere; bo-* Tiberius  
Imperator  
ni hortulani, olerum folia decerpere, non ipsos caudices defringere; prudentis Medici, sanguinem stillatim mittere, non totum unà vice exhaurire. Proinde subditos suos non habebat ut spongas, quas exprimeret; non ut vaccas, quas emulgeret; non ut capita papaverina, quae decollaret, sed cum Tiberio Constantino

F

Justi-



## ORATIO FUNEBRIS

*Evagrius  
lib. 5. Hist.  
Eccles. cap.  
13.  
Euseb. lib.  
1. de vita  
Constant.  
cap. 10.  
Idem lib. 4.  
cap. 2.*

Justini in Imperio successore aurum istud adulterinum judicabat quod cum subditorum lachrymis esset collectum; ac cum Constantio recto animi judicio statuebat, thesauros Principum in loculis subditorum tutissime custodiri. Celebratur Constantii hujus filius Constantinus, quod cum annua ipsi tributa agrorum nomine penderentur, quartam his detrahitam partem agrorum possessoribus donaverit, ut annuam hanc detractionem ad calculum revocanti facile appareat, frugum Dominos quarto quovis anno a tributo esse levatos: sed longe majore laudum praconio Princeps noster dignus judicandus, qui Thuringiacae ditionis subditis ordinaria tributa omnia per annos aliquot penitus remisit, propterea quod hostilis exercitus contributionibus extraordinariis ipsos miserè premeret, evisceraret, enecaret. Exemplum profectò sine exemplo, hoc nostro praesertim seculo, quo subditorum reculae simul & militum praedae & exactorum libidini plurimis in locis sunt expositae. Ex amore erga subditos originem trahit affabilitas & clementia. Utraque virtus in Principe nostro fuit admodum conspicua. Erat enim *ἁπλοῦς*, *ἠέμιος*, *προσηγνής*, facilis accessu, facile saluans, facile admittens interpellantes & supplicantes, blandus & lenis, quae epitheta inter laudes boni Principis à Julio Polluce Imperatori Commodò praescriptas locum obtinent haud postremum. Cum Alphonso Aragoniae ac Siciliae Rege nihil tam proprium Principis esse, statuebat, quam clementiam; majestatis, quam lenitatem, quae justitiae rigor temperaretur, sicut Deus Opt. Max. cujus imaginem Princeps exprimere debet, gladium vindictae semper lenit oleo misericordiae. De hoc Alphonso cum quidam conquererentur, quod nimiam lenitatem & mansuetudinem, periculo con-

*Panormit.  
lib. 2. de  
reb. goth.  
Alphonsi.*



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

contemptus se obnoxium redderet, prudenter respon-  
dit, *expectandum ipsis esse, ut arsi ac leones quandoq; regna-*  
*rent; hominis esse clementiam, beluarum feritatem.* Eodem  
etiam animo Princeps noster erat, qui *non metum ex cru-*  
*delitate cum Caligula, sed amorem ex benevolentia,* cum  
Marco Antonino subditorum animis instillabat, ex  
cujus vultu, sermone & actionibus universis nihil aliud  
elucebat, quàm benignitas & clementia, ob quam  
publicâ totius populi voce *Pater patria* vocabatur, quo  
elogio cum à Messala Augustus Imper. condecorare-  
tur, prælatitia largos effudisse fletus dicitur. Ad i-  
gnoscendum facilis erat ac promptus, beneficium se ac-  
cepisse putans, cum rogaretur ignoscere, ac tunc pro-  
pior erat *venia*, cum fuisset commotio major iracundia, quod  
in Imperatore Theodosio Mediolanensis commen-  
dat Episcopus; cum Cornelio Scipione Africano sa-  
tius esse dicebat, *unum civem servare, quàm mille hostes*  
*perdere,* quæ vox M. Antonino Pio Imperatori lauda-  
tissimo, pacis & tranquillitatis amantissimo, ita pla-  
cuit, ut eam semper in ore habuerit, ex animo nun-  
quam dimiserit. Ex amore erga subditos pro manat  
*boni publici cura.* Ab ea si quis alienum fuisse Princi-  
pem nostrum dixerit, Soli ipsi obloqui meritò censebi-  
tur. Testatam profectò reddidit hanc boni publici  
curam profectioibus crebrioribus, non animi gratiâ,  
nec dicis causâ, sed Domus Saxonica & totius Impe-  
rii salutem promovendi studio susceptis. Hoc enim  
unicum est, quod optimum Principem impulit, ut An-  
no 1605. Heidelbergam, Anno 1609. Dresdam; Anno  
1610. totius Electoralis & Ducalis Saxonicae familiae no-  
mine Coloniam ad Rhenum; Anno 1612. iterum Dres-  
dam; Anno eodem Francofurtum ad coronationem.

*Ambros. in  
orat. de or-  
bitu Theo-  
dosi.*

*Plutarchus  
vel quicumq;  
alius autor  
in ipsius vi-  
ta.*

*Julius Ca-  
pitolinus  
in ipsius vi-  
ta.*



## ORATIO FUNEBRIS

Matthiæ II. Imperatoris Augustissimi; Anno 1613. de-  
 nuò Dresdam; Anno 1617. Cellas, Anno 1627. Torga-  
 viam; Anno 1631. Lipsiam, ubi in Conventu Serenif-  
 simorum & Illustrissimorum Electorum ac Principum  
 & aliorum Imperii Statuum de afferenda religionis &  
 Germaniæ libertate collatæ sunt sententiæ, non sine  
 maximis sumtibus & molestiis sese conferret, ac quæ  
 ad Reipubl. commodum pertinere videbantur, in me-  
 dium consuleret. De eadem boni publici cura lucu-  
 lentum testimonium præbent ædificia splendidissima  
 & augustissima, quæ Princeps noster tum alibi loco-  
 rum in Ducatu, tum verò cum primis Coburgiè fun-  
 damentis excitavit, ut meritò aliquis de ipso pronun-  
 ciare possit, ipsum Coburgum *accepisse lateritium*, sed  
*post se reliquisse marmorem*. Nihil dicam de arce Osla-  
 viensi ac Tennebergensi, quarum utramq; magnificè  
 amplificavit; silentio involvam templum Calenber-  
 gense, quod novum planè extruxit, in sola Coburgi  
 urbe quot & quanta erexit ædificia! Contemplemini  
 mecum *Cancellariam* in foro; *Gymnasium* prope templū,  
*Armamentarium* arci vicinum, *Domum jaculatoriam* &  
*Sphæristerium* extra urbem, *hypæthrium* sive Subdiale am-  
 bulacrum in ipsa arce, vallum exterius & aggerem an-  
 temuralem in Fortalitiò, exclamare profectò mecum  
 cogemini; Quot ædificia, tot Principalis magnifi-  
 centiæ documenta, tot æternæ laudis monumenta!  
 Ad curam boni publici pertinet *Φιλοπονία* ac indefes-  
 sum de quovis subditorum bene merendi studium.  
 Sanè, qui non sapiunt ultra vulgus, Principes eo so-  
 lum à subditis differre arbitrantur, quòd attagenis,  
 phasianis, perdicibus & aliis cibis lautioribus vescan-  
 tur,

*Xenoph.*  
*lib. I. Cyro-*  
*pad fol. 27.*



DUCIS JOH. CASIMIRI.

tur, quòd cœnent sumtuosius, quòd suavioribus victi-  
 tent epulis & vino generosiore, quòd mollioribus a-  
 miciantur vestibus, quòd aureis splendeant monili-  
 bus, quòd somno largius indulgeant, quòd in thesau-  
 rariis suis plus auri reconditum habeant, quòd mi-  
 noribus cōflicentur cum molestiis, ac totam deni-  
 que vitam hilariorem, jucundiorē, liberiorē tran-  
 figant. Sed quorum de meliore luto finxit præcordia Ti-  
 tan, quiq; non sunt in vervecum regione nati, illi pro-  
 bē animadvertunt, *nihil esse difficilius, nihil majore cum*  
*labore & molestia conjunctum, quàm imperium rectè gere-*  
*re; ut inter virtutes Imperatorias propterea meritò*  
*numerentur labor in negotiis, fortitudo in periculis, indu-*  
*stria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in provi-*  
*dendo; ac non sine ratione de Magistratu dictum sit,*  
*omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium il-*  
*lius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacatio-*  
*nem illius occupatio.* φιλοπονία igitur in Principe requi-  
 ritur, quæ huic nostro fuit familiaris ac veluti pro-  
 pria. Dolebat, si antelucanâ ab aulicis vinceretur  
 industria, primus Senatui Consiliariorum intererat,  
 primus operas publicas spectabat, quarum sedulum  
 agebat ἐργασίῳ, ut plurimum auroram ipsam suo in  
 sylvas & prædia excursu antevertebat; nullos labores  
 boni publici causâ exantlandos, nullas molestias sub-  
 ditorum causâ devorandas, nulla pericula gubernatio-  
 nis nomine subeunda subterfugiebat, sed promptum  
 se & paratum ad quævis perficienda offerebat. Nec  
 deerat eximio isti, quo Princeps noster stipatus erat,  
 virtutum choro, illa reliquarum omnium directrix  
 ac ὄμμα τῆς ψυχῆς, prudentia. Prudentiæ parentes sunt,  
 inge-

Diocletianus apud  
 Flavianum  
 Vopiscum.  
 Cic. pro les-  
 ge Mani-  
 lia.

Seneca lib.  
 de Clement.



ORATIO FUNEBRIS

ingenii sagacitas, iudicii dexteritas, rerum usus, præ-  
 teritorum memoria, atque illa omnium doctrix ex-  
 perientia: nihil horum in Principe nostro desiderari  
 potuit. Quâ polluerit mentis ἀγχινοία, uno vel alte-  
 ro manifestum faciam dicterio. Cœnabat aliquando  
 cum ipso Johannes Philippus à Gebfattel Episcopus  
 Bambergensis, Pontificiæ quidem religioni addictus,  
 sed Jesuitis parùm æquus. Quærebat is ex Principe  
 nostro, quodnam ipsius de Jesuitis esset iudicium? respon-  
 debat noster, se, cùm venatione alioqui delectetur, simili-  
 tudine venatoriâ ipsorum mores declaraturum. Versipelles  
 isti homines, dicebat, Monachos variis calumniis oneratos  
 velut ignavum fucos pecus ex pristinis suis expellunt alvea-  
 ribus & sedes eorum occupant, perinde ut vulpecula graveo-  
 lente stercore nidore meles è sedibus suis exterminant. Pru-  
 dens profectò responsum, quod annis proximè præ-  
 terlapsis ipsimet Jesuitæ mirificè comprobârunt! A-  
 critter enim non solum in aula Imperiali & coram Cu-  
 ria Papali, sed etiam in publicis scriptis cum reliquis  
 Monachorum Ordinibus disceptabant de occupandis  
 Monasteriis è Protestantium manibus iterum extor-  
 tis, quorum pleraq; suo Ordini vindicare conabantur,  
 ursâ nondum captâ, de pelle distribuenda stolidè decer-  
 tantes. Coloniae cùm in templo D. Ursulæ sacro un-  
 decim millium virginum reliquias & in aurea, quam  
 ita vocant, templi illius Camera secretiora & san-  
 ctiora λείψανα Princeps noster viseret, sacrificulus  
 præmissis variis Ceremoniis & certis preclarum for-  
 mulis particulam aliquam ex corona spinea sanctissi-  
 mo Salvatoris capiti quondam imposta proferebat,  
 eamq; Principi exosculandam offerebat. Recusabat  
 verò

Videantur  
 Laymanni  
 iusta defen-  
 sio.

Apologia  
 Nicolai à  
 Jesu Maria  
 pro Mona-  
 chis.

Anatomia  
 Jesuitica  
 Societatis.  
 Altiò per-  
 ductionis  
 In Jesuitas  
 &c.



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

verò Princeps, dicitur *ἐκ τῆς παραρτήμα* usus ejusmodi.  
*Egone illud deoscularer, quod Salvatoris mei corpori lesionem  
 atq; injuriam intulit?* cui argumento quid Sacrificulus  
 responderet, non inveniebat, qui rebus suis meliùs  
 consulisset, si cum Monacho illo Italo, cujus Histo-  
 riam mox recitabo, ingenuâ confessione fraudem om-  
 niam detexisset. Notum enim vobis arbitror, quod  
 Georgius Fabricius iter suum Italicum describens in-  
 ter cætera referat, se cum sociis venisse ab Ostio, quò  
 ex urbe Roma excurrerant, ad tres illos fontes, quos  
 ex ter repetito saltu capitis D. Pauli à Nerone inter-  
 fekti ortos fabulantur, ex quibus bibentes interroga-  
 ti, cur id facerent, responderunt, *quia tabulis hie ap-  
 pensis adscriptum videmus, immunem à febre futurum anno  
 uno, qui ex uno biberit fonte; annis tribus, qui ex omnibus;*  
 tum verò Monachus ipsis assidens, *hæc rudibus,* inquit,  
*scripta sunt & imperitæ plebecula, ut metus ei aliquis religio-  
 sus injiciatur, prudentioris est, nihil his moveri, quia vana  
 sunt.*

Sed redeo ex hoc diverticulo in viam, ad pruden-  
 tiam scil. Principis nostri explicandam. In eo ad mentis  
 aciem atq; animi perspicacitatem accesserat longus re-  
 rû usus & multiplex experientia, unde in quibusvis ne-  
 gotiis, etiâ maximè perplexis & impeditis, verum à fal-  
 so, bonû à malo, rectum ab obliquo, justum ab iniquo,  
 salutare à noxiò primo statim intuitu exquisitissimè di-  
 scernere poterat ac disparare, adeò ut in rerum intri-  
 catarum ac difficilium explicatione totum Consilia-  
 riorum confessum in admirationem raperet, ac pru-  
 dentia palmam ipsis faceret ambiguam. Prudentia,  
 ne in calliditatem degeneraret, optimus Princeps nexu  
 jucun-



## ORATIO FUNEBRIS

jucundissimo conjungebat *candorem & integritatem infucatam*. Facies in ipso erat ingenua, frons aperta, pectus candidum; ex ipso vultu relucebat & ex oculis promicabat, ipsum esse *antiquae virtutis & fidei Saxonicae Principem*; favorem & iram in fronte promptam gerebat, mendacia, falsitatem, æquivocationes & simulationem omnem extremo odio persecutus. Ad calumnias audiendas pronus non erat, delatas ad se aliquandiu dissimulabat, neque se transversum illis agi patiebatur, ut cujus cum poenitere posset, præceptis quidpiam admitteret. Nunquam falsis criminationibus aut sermoni disseminato famam innocentum, antequam rem planè cognosceret, subjici patiebatur; delatoribus nec vacivas aures præbebat, nec fidem habebat, sed in faciem illis regerebat, *velle se auctorem delato denominare, ipsiq; aures alteram reservare*. Adulatores teterrimas illas non aularum solùm, sed totius generis humani pestes, quorum *linguas plus nocumenti afferre, quàm manus persecutorum*, verè pronunciat Hipponensis Episcopus, cane & angue pejùs oderat ac cum Theodosio Imperatore *magis arguentem, quàm adulantem probabat*. Cæterùm quia novercantis fortunæ insultibus non infimæ solùm sortis homines, sed ipsi quoq; Reges & Principes, pii cum primis & DEO grati, in hac vita sunt obnoxii, ut in illis quoq; veritatem sortiatur illud Lactantii, *DEUS non vult hominem ad beatã illam immortalitatem delicato itinere pervenire, dilectis suis in his terris iter facit asperum, ne, dum delectantur in via, obliviscantur eorum, quæ sunt in patria*, ideò Princeps noster virtutibus reliquis etiam associabat *patientiam*, quam Gregorius M. haud immerito *custodem omnium virtutum* appellat, per

*Augustin. in enarrat. Psal. 69. Ambros. in orat. funeb. Theodosii.*

*lib. 1. de opific. Dei pag. 317.*

*homil. 34. in Evang.*



## DUCIS JOH. CASIMIRI.

per quam adversus quosvis malorum impetus fortiter munitus mediis in undis tranquillum se gerebat, perpetuò memor illius, quod Symboli loco usurpare solebat: *Glend niche schade / Wer Tugend hat / id quod sic reddas: Virtuti nullum metuendum à sorte periculum. Quem munit virtus, huic casus non nocet ullus.* Patientiæ magisterio didicerat æquo animo ferre prioris conjugii infortunium ac diuturnum parentis exilium. Patientiæ tribuendum, quòd, cum sciret, plus posse Aten unam, quàm Litas decem, multa tolerare ac dissimulare maverit, quàm impatienter quidquam turbare. Patientiæ erat non vulgaris, quòd cum calculi doloribus exquisitissimis aliquoties conflictatus, cum primis verò paucis ante obitum mensibus ex ulcere vicinas carnes depascente cruciatus sentiens acerrimos, nullam tamen unquam vocem impatientiæ indicem emisit. Omnem verò patientiam superare penitus videbatur hostilis illa irruptio, quam ante annum ac semestre Ducatus Saxo-Coburgicus coactus fuit sustinere. Oppugnabatur castellum, occupabatur Coburgum, flammis subjiciebantur urbes ac pagi, eviscerabantur subditorum loculi, diripiebantur Principis thesauri, in captivitatem abducebantur matronæ honestissimæ, Viri primarii, Consiliarii præcipui; in exilium pellebantur cives ac rustici, Principi ipsi nullum aliud nisi in secessu supererat præsidium. O miseriam inexplicabilem! O jacturam inæstimabilem! O damnum irreparabile! Subjice te oculis nostris Eisfeldia. In favillas & cineres es redacta. Ostende te Rodachium. Flammis subjectum es fermè totum. Prodi in conspectum dilecta mea Heldburgum. Plusquam dimidiâ ex parte subjectis ignibus



## ORATIO FUNEBRIS

ignibus te video absumtam. Siste, quaeso, te nobis  
 Ummerstadium, meæ quondam inspectioni commis-  
 sum. Vis incendii exitium tibi attulit & exterminium.  
 Sed & oculis te nostris offer Gotha, Thuringiæ urbs non  
 infima. Ignis, non quidem hostili manu accensus, sed  
 civis cujusdam *μαχαριστοποιη* incuriâ exortus, fecit, ut  
 plures quàm sexcentæ ædes in te desiderentur. Quo  
 animo, Princeps optime, nuncium de hostium trucu-  
 lentia accepisti? quibus oculis redux jam factus isthæc  
 urbium tuarum cadavera aspexisti? Nisi animo fuisses  
 pietate & patientiâ probè firmato ac planè invicto,  
 hisce adversitatum turbinibus ac publicarum calami-  
 tatum procellis facili negotio in vortices abripi potuis-  
 ses. Sed de hac Principis nostri patientia, documentis  
 illustribus confirmata, si plura in medium adferre vel-  
 lem ac reliquas etiam ipsius virtutes eloquii penicillo  
 depingere, dies me citiùs, quàm oratio deficeret. Ex-  
 plicanda enim mihi foret Principis nostri *beneficentia*,  
 quam erga summos, medioximos, infimos liberalissi-  
 mè exercuit, quorum nemo manum ejus erga se clau-  
 di sensit, aut vultu tristi ab eo discessit. Qui ab officiis  
 & ministeriis ipsi erant, illis non solum singulis anni  
 quadrantibus die statò atq; fixo etiam in difficilimis  
 hisce temporibus sua numerari curabat stipendia, sed  
 etiam erga ministrorum aulicorum viduas & liberos  
 post maritorum ac parentum mortem effusè liberalis  
 de necessaria sustentatione ipsis prospiciebat, adeoque  
 omnes nervos in id intendebat, ut quibus præesset, il-  
 lis etiam prodesset. Prædicanda esset Principis nostri  
*castitas*, quâ fidem conjugalem intemeratam atque  
 illibatam custodiens, ab illicitis & furtivis amoribus  
sibi



DUCIS JOH. CASIMIRI.

sibi temperavit, cum minimè ignoraret, vagas libidines & animi & corporis vires enervare, omnem in mente prudentiam extinguere, generosum animum brutarum voluptatum mancipium reddere, perniciem atque interitum Reipubl. attrahere ac Magistratum subditis contemptum atque exosum reddere. *Quem Pierius lib. 26 Hieroglyph.*  
*admodum enim apes oderunt homines à coitu olidos: sic Principem libidinosum omnes subditi execrantur.* Commendanda esset Principis nostri *temperantia*, quæ castitatis munimentum est ac nutricula. Neque enim cum Sardanapalo animum in alvo quasi defodiens unius pelliculæ curam agebat, non delectabatur *κυνελλομαχία*, nec instiruebat poculorum certamina, sed mensa ipsius erat sobria, inimica gulæ, expers luxuriæ, ex quo factum, ut sensus vegetos ac vires corporis integras ad extremum usque senium conservaverit. Sed si hæc omnia justâ oratione complecti vellem, dicendi prius exordium, quàm exodium invenirem: illud sine scrupulo affirmare ausim, eum, qui olim, *uni annulo bonorum Principum nomina insculpi posse, censuit, omnino etiam nostrum Principem, si eum novisset, in eorum numero relaturum; ac gravem sibi adversariam constitutam experturum eum, qui ad laudis æmulationem, virtutum imitationem ac meritorum magnitudinem in hoc Principe propositam velit aspirare, unde etiam tale elogium Sarcothecæ Stanneæ insculptum Princeps noster promeruit, quòd fuerit Pater patriæ, religionis sincera cultu, justitiæ amore, constantiâ, antiquâ virtute & fide nulli secundus, Ecclesiæ, Scholarumq; Nutritius benignissimus, fidus DEO, quanquam vi & armis pressus, fidus Casari secundùm leges fundamentales,*



## ORATIO FUNEBRIS

*tales, fidus Imperio.* Liberâ tamen voce interim profiteor, me hominẽm laudare, non aliquod Numen, non Angelum, non aliquem ex beatis cœlitibus ab omni omninò peccati labe vacuum & immunem. Suos etiam noster Princeps habuit nævos atque affectus rationis orbitam nonnihil transilientes, sed qui benefactorum & virtutum cumulo facilè obteguntur & apud æquos rerum arbitros excusationem promptam admittunt. Quid enim, si venationi Princeps noster paulò liberiùs indulfit! Commune id habuit cum multis Principibus, præsertim cum Friderico III. Saxonix Electore, proavi sui fratre, qui, teste Luthe-  
 ro, *venationi maximè deditus fuit, nec tamen propter ea Sapientis cognomen amisit.* Noverat, Manue-  
 lem Palæologum Imperatorem pietate ac sapientiâ insignem filium suum fuisse exhortatum, *ut post susceptum Imperii clavum, interdum ex libris, interdum ex amano juris aspectu, aut venationibus solatium peteret, quo prostratas animi vires iterum colligeret;* unde & noster Princeps in sylvas egressus animum à gravioribus negotiis avocatum venatione oblectabat, nec tamen seria interim negligens, nec venationis studio subditis damnum facilè inferens, nec quadam *κυνηγέλιου μανίας* in hanc delectationem sese penitùs immergens. Quid si Princeps noster quandoq; plus paululùm adbibit! Hilaritatis hoc fuit poculum, quo curas ex Reipubl. administratione collectas dissipavit. Quid si ad iracundiam fuit pronior! heroicis Naturis id congenitum, ac notum illud Poëtæ:

*Et faciles motus mens generosa capit.*

Sed nolo fictis virtutum coloribus nævos obducere,  
nec

*in enarrat.  
 Genes. 25.  
 cap.  
 in Præcep-  
 tiu educat.  
 regia prac.  
 8.*



DU CIS JOH. CASIMIRI.

nec eum, in cujus laudibus occupatus sum, ab humanis infirmitatibus alienum prorsus facere. Ingenui interim animi esse, arbitror, virtutes piè defunctorum ad easdem imitandas aliorum conspectui sistere, infirmitates verò, quæ ipsis adhæsere, unà cum corpore terrà obtegere. Nubecula, quæ in aëre Soli vicina conspicitur, non statim serenitatis laudem diei auferit, nec tenuis quædam in facie macula vel verruca pulchritudinis decus extinguit, nec aquæ quædam guttulæ vino generoso admixtæ bonitatem ejus adulterant: sic exiguæ humanorum navorum maculæ, quæ heroicis Naturis adhærent, honestatis & virtutis decus rebus præclarè gestis partum haudquaquam violant aut labefactant. Si expendamus amplissimam illam segetem, quam Ecclesia & Respubl. ex fertilissimo isthoc agro, ex Principis nostri regimine, percepit, nullam planè rationem habendam esse, videbimus, sterilis avenæ, cujus culmos numero perquam exiguo simul succrevisse morosus aliquis momus arguere fortè posset.

Sed enim, quod omnium eorum, quæ pro afferenda Principis nostri laude & navis ejus purgandis afferri possunt, præcipuum esse arbitror, *ὁ μακαρίτης* noster hominem se agnovit, ac in vera & seria pœnitentia erratorum suorum remissionem à DEO obtinuit, Christi sanguine omnes tam congenitæ, quàm contractæ labis sordes ablui firmiter credens & in ipsius vulnera, velut salvifica spiritualis ac cœlestis *petra forami-* Cant. 2.  
6. 14.  
*na* verà ac vivâ fide sese abscondens, id quod tum per omnem vitam, tum in ipso etiam mortis agone sibi unice commendatum habuit, ac sacratissimo Dominici



## ORATIO FUNEBRIS

corporis & sanguinis Sacramento fidem suam confirmavit. Ut enim cum vivendi in his terris sine, quem Princeps noster haud ita pridem fecit, nostram tandem finiamus orationem, de morte ipsius quaedam dicenda restant, quam verè Christianam & piam fuisse, facili conjecturâ assequi potestis, cum fieri nequeat, ut vitam bonam mala mors consequatur. Optima profectò optimi Principis vita, quæ tam præstantes habuit actus cæteros universos, non potuit non extremo quoque actu præstantissimo terminari, qui omnino talis fuit, ut meliorem vel ad mortem viam, vel in morte exitum optare sibi quispiam nostrum minime possit, sed cum Bileamo, pessimi commatis Propheta, optimum illud votum repetere haudquaquam dubitet: *Moriatur anima mea morte illius justi & fiant novissima mea horum similia!* Cum enim mortis caduceatorem Princeps noster sibi mitti videret, ac de colligendis sarcinulis parandæq; abitu sese admone-ri animadverteret, Testamentariam suam dispositionem denuò confirmavit, peccatorum per totam vitam commissorum condonationem seriis lachrymis à DEO petiit, præmissaque eorundem Confessione, ex Ecclesiastæ aulici ore absolutionem, & ex ejusdem manibus sacram Eucharistiam, in preciosissimum viaticum accepit, Conjugi Illustrissimæ, pientissimæ, ac Consiliariis secretioribus, qui lectulo morientis astabant, valedixit, ac animam suam à DEO Patre creatam, à Christo redemptam, à Spiritu sancto in sanctissimæ Trinitatis habitaculum consecratam; animam, inquam, suam, & vanitatis mundanæ & terreni regiminis & ærumnarum hujus vitæ pertæsam; ani-  
mam,

Num. 13.  
9.10.



DUCIS JOH. CASIMIRI.

